



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs XXVI. De Præscriptionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

licet diversa sint, tamen se invicem adiu-
re, & jura mutuo defendere debent.

Nota III. Judex Ecclesiasticus non de-

bet admittere sententiam latam à Judice
sæculari, si cum animæ periculo juncta sit.
Ita *Geminian. hic & alij.*

TITVLVS XXVI. DE PRÆSCRIPTIONIBUS.



Um præcedente Titulo de ex-
ceptionibus generatim dictum
sit, subiungitur materia de præ-
scriptionibus, quia præscriptio
species quædam est perempto-
riæ exceptionis, uti docui *l. 3. Th. Mor. tract.*
l. de Inst. cap. 8.

CAPITVLVM I.

Placuit.

PARAPHRASIS.

Si quispiam Prælatorum locum aliquem ad
fidem Catholicam converterit, & per tri-
ennium tenuerit, non repetente Episcopo
ad quem de jure pertinet, ulterius repeti
non potest. Verùm si Ecclesia Cathedra-
lis vacauerit, non præiudicatur ei, quo-
minùs constituto Episcopo locus repeti
queat; Deinde si Episcopus ab hæresi ad
fidem Catholicam redierit, ex tempo-
re reditùs triennium ipsi conceditur ad
repetendum locum, qui ad Ecclesiam
Cathedralem pertinet.

SUMMARIVM.

1. Casus specialis, in quo per triennium præ-
scribitur in iuribus Ecclesiæ ab hæreticis
& schismaticis recuperata.
2. Limitatur hæc doctrina & declaratur.
3. Præscriptio contra Ecclesiam nõ currit dum
ea vacat; neq; si est quis inutilis ad agen-
dum, quamuis non sine sua culpa.

Notandus hic est casus specialis, quo per
triennium præscribitur in iuribus Ec-
clesiæ ab hæreticis & schismaticis recupe-
rata; si enim Episcopus, ad quem Ecclesia

de jure pertinet, seu intra cuius diœcesim si-
ta est, post monitionem ipsi à Coëpiscopis
insinuatam, intra 6. menses recipere negli-
gat, alius vicinus Episcopus, eandem Ecce-
siam recipere seu ad Catholicam fidem re-
ducere potest, *c. Placuit. xv. c. 16. q. 3.* ita qui-
dem, ut si Episcopus ille, ad quem spectat,
intra triennium repetere Ecclesiam omittat,
postea audiendus non sit, idque in Africano
Concilio. *c. 88. & c. 121.* specialiter decretum
est, in fidei Catholicæ fauorem, & ad Epi-
scoporum diligentiam & vigilantiam exci-
tandam.

Excipiendum 1. Si Episcopus, in cuius
diœcesi Ecclesia sita est, idè eam ultra 6.
menses ad fidem Catholicam reducere in-
termittat, quia tempus expectat, quo sine
tumultu securius id peragere poterit *cit. c.*
Placuit. Hoc casu cum justam differendi
causam habuerit, ne præcipitando maius
hæreticis damnum inferret, alius Episcopus
præoccupare ac præuenire non debet.

Excipiendum 2. Quòd præscriptio con-
tra Ecclesiam non currat, dum ea vacat. *cap.*
Auditus. 13. hoc tit. idè què est, si sit inutilis
ad agendum, quamvis non sine culpa sua. v.
g. in Carcerem ob crimen inclusus, vel ex-
communicatus, sicut ex hoc cap. colligitur, &
tradit *Gl. in c. Quia. 13. verb. postliminio. ib. q. 3.*

Quod verò Abbas *hic. n. 8. tradit.* quòd præ-
scriptio non currat contra excommunica-
tum etiam in iuribus propriis, id verum est,
quamdiu per ipsum non stat, quominus ab-
solutionem impetret. *c. Quia. 5. De concessio-
ne præbende.* Sin autem culpabiliter absolu-
tionem petere omittat, videtur, præscriptio
procedere, teste *Baldo & Alexand. hic*
num. 9. quia non debet censeri impedi-
tus.

tus, qui impedimentum tollere potest. *argumento l. Sed etsi. 26. §. At Prator. ff. Ex quibus causis maiores.* & alioquin excommunicatus ex propria iniquitate commodum ferret, quandoquidem id ordinarii Iuris est, ut qui intra tempus definitum agere intermit- tit, postea excludatur, seu contra eum excipi ac præscribi possit.

CAPITVLVM II.

Nihil.

PARAPHRASIS.

S. Gregorius I. Papa ad Italicam Patriciam l. 2. Epistola 58. Regist. scribit, tamen si ipse jura quædam Ecclesiastica, concordie causâ, & ne tumultus, vel scandalum oriatur in iudicio, repetere intermiserit, imò etiam non se repetiturum promiserit, tamen per talem taciturnitatem, aut patientiam nolle se successoribus suis Pontificibus in rebus pauperum præiudicium aliquod generari.

SUMMARYM.

1. *Prælati propter vitandum scandalum remittere potest aliquid de juribus Ecclesie, ita tamen ut nullum præiudicium, aut præscriptio in futurum oriatur.*
 2. *Taciturnitas & patientia Prælati non repetentis bona Ecclesie, non præiudicat successoribus, quo minus ipsi repetere possint.*
- Propter eam tamen, & Prælati negligentiam, concurrente bonâ fide, viâ præscriptionis jura Ecclesie amitti possunt.*

NOT. Vnic. Prælati propter vitandum scandalum quandoque aliquid de Juribus Ecclesiasticis, aut causarum piarum remittere potest, ita tamen ut in futurum nullum præiudicium, aut præscriptio oriatur, quamobrem protestari interdum debet, quòd eiusmodi remissionem liberè faciat, non ex obligatione.

Possumus etiam aliter colligere *ex text. c.* quòd taciturnitas & patientia Prælati non repetentis bona Ecclesiastica, vel ad causas

pias destinata, non præiudicat successoribus quo minus ipsi repetere possint, nam sicuti Prælati talia bona expressè dare non potest, ita nec tacitè per renunciationem præsumptam ex taciturnitate.

Interim non negamus, quin jura Ecclesie viâ præscriptionis amitti possint propter negligentiam & taciturnitatem Prælati, sed hoc fit concurrente bona fide, quæ oritur ex ignorantia, cum videlicet existimat is, qui præscribit, jus v. g. decimarum non ad Ecclesiam illam, sed ad se pertinere, vti docui. *l. 3. tr. 4. de just. c. 10. n. 6. in fine.*

CAPITVLVM III.

Sanctorum.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia possessionem aliquam 30. annis pacificè & bona fide, quamvis siue titulo possedit, postea ei auferri non debet, si tamen denunciatio aut proclamatio synodalis ante cessit, ea præscriptionem interrumpt.

NOT. Vnicum. Jure antiquo Præscriptio in rebus immobilibus sine titulo, 30. annorum spatio contra Ecclesiam etiam perficiebatur, nunc verò 40. anni requiruntur, ut mox patebit.

CAPITVLVM III.

De Quarta.

PARAPHRASIS.

Clericus contra Episcopum quartam decimarum & oblationum funeralium intra annos 40. præscribere potest, nisi interea Ecclesia Cathedralis caruerit pastore, qui jura Ecclesie exigere debuisset. Porro 30. annorum præscriptio, quæ olim in rebus immobilibus, ac juribus, tanquam ordinaria longissimi temporis statuta erat. *l. 3. C. de præscription. 30. vel 40. annorum à Romana Ecclesia non recipitur, si aduersus jura Ecclesiarum tendat.*

S Y M M A R I V M.

1. De jure communi quarta pars decimarum & funeralium oblationum debetur Episcopo. Utræque pluribus locis abolita est.
3. Contra Ecclesiam carentem Rectore qui jura eius defendere debet, non currit prescriptio.
3. Contra eandem in rebus immobilibus ac juribus non procedit prescriptio minor 40. annis, interdum opus est tempore immemoriali. Quando?
4. Idem est de legatis, aut donatis ad causam piam, ratione quorum Episcopus loci agere debet, si executor alius constitutus non sit.
5. Pauperibus post prescriptionem competit beneficium restitutionis in integrum quadriennio non minus quam aliis piis locis.

NOT. I. Spectato communi jure, Episcopo pars 4. ex decimis (quæ dicitur quarta decimarum) & pars 4. ex funeralibus oblationibus (quæ portio specialis Canonica appellatur) debetur. De quarta decimarum habes in *c. Conquerente. 16. de officio Ord. & dixi l. 4. tr. 5. de just. c. 4. n. 6. de portione Canon. funeralium in c. Requisisti. 13. de testamentis. & dixi l. 3. tr. 5. c. Ultimo. n. 13. Quibus locis monuit quartam decimarum, tum quartam funeralium pluribus locis abolitam esse.*

2 NOT. II. Dum Ecclesia caret Rectore, qui jura eius defendere debet, non procedit contra eam prescriptio, ut dixi in *c. 1. hoc tit. & ampliari debet 1. Si Ecclesia caret Rectore immediato, ad quem pertinet actio & defensio, quod prescriptio non procedat, tamen mediatus, videlicet Episcopus, aut Papa agere possit, ut docet Abbas. in *c. 2. de rest. spoliat. 2. Ampliari debet quod vacante Ecclesia non procedat prescriptio contra jura, quæ ad Prælatum & Conuentum communiter pertinent. Sicut tradit Abbas. cit. c. 1. n. 4. Mol. tr. 5. de just. D. 11. n. 16. Cum enim Ecclesia defensore ac Rectore proprio & principali careat, lites circa jura eius (nisi ad Capitulum propriè pertineant) eo tempore cessare debent. *c. ult. ne***

sede vacante. ; vbi gloss. ait. verb. vacante. quod vacante sede nihil fieri debeat, per quod ei præiudicari possit. Tamen si verò Innoc. in c. Cum dilectis. n. 1. de consuet. gloss. in Clement. ult. verb. renocari. de Procurat. existimet, quod conuentus Monasterii, vacante Prælatura, Syndicum constituere, & per eum pro juribus Monasterii agere possit; tamen non ideò fateri debemus, quod vacante Prælatura & non agente Conuentu prescriptio currat contra Monasterium, quandoquidem proprius ac principalis administrator & defensor deest.

NOT. III. Contra Ecclesiam in rebus immobilibus ac juribus non procedit prescriptio minor annis 40. Ita hic & *c. Ad aueres. 6. hoc tit. Authent. de Eccles. tit. 8. Pro temporalibus. collat. 9.* Verum non semper sufficiunt 40. anni, sed interdum opus tempore immemoriali, si videlicet jus commune Canonicum prescribenti resistat, neque istitulo colorato adiuetur. Vti habetur in *c. 1. hoc tit. in 6. & docui l. 3. tr. 1. de just. c. 8. n. 14. & l. 4. tr. 6. c. 6. n. 7.*

Addendum est huic notando, idem quoque sentiendum esse de legatis aut donatis ad causam piam, videlicet pro redemptione Captiuorum, aut sustentatione pauperum, quamuis in genere seu indeterminatè, pro eiusmodi legatis seu relictis si executor alius constitutus non sit, ad Episcopum loci agere pertinet. *l. Nulli. 28. l. Si quis. 48. C. de Episcopis. & docet gloss. in l. Ut diuinum. 23. verb. captiuorum. C. de SS. Ecclesiis.* Episcopo autem negligente per annos 40. prescriptio cum bona fide perficitur. *auth. cit. 8. pro temporalibus.* vbi habetur, quod prescriptiones, quæ contra priuatum esse solent annorum 10. 20. aut 30. aduersus Ecclesiam aut sacrum locum, vel in hæreditatibus, aut legatis ad pias causas, ante annos 40. non perficiantur, & notauit id gloss. in *cit. l. Ut diuinum. verb. centum. Abbas. in c. 2. n. 10. hoc tit. Felin. ibid. n. 4.* vbi tamen monet, quod pauperibus post prescriptionem beneficium restitutionis in integrum quadriennio non minus, quam piis locis com-

competere debeat, qua de re dixit. *l. 3. tr. 1. de just. c. 8. n. 20.*

5 Contrarium docuit Ant. hic, quod præscriptio non procedat, si pauperibus indeterminatè legatum sit; cum enim pauperes incerti sint, imputari ipsis non potest, quod agere intermiserint. *argum. l. 1. §. ne autem.* Vbi dicunt DD. quod non valenti agere, non currat præscriptio, sicuti si Pater, penes quem filii aduentitia bona sunt, agere pro eis intermittat, id filio non nocet *cit. §. Ne autem.*

Sed rectè ad hoc respondet *Abbas. cit. r. 10.* utroque jure notissimum esse, quod ob negligentiam administratoris lege constituti, natu minoribus, Ecclesiis, piis locis, & causis perficiatur præscriptio, tamen si minor procuratorem habens, sicuti & Ecclesia, aut pia causa per se ipsam agere non possit: de Patre autem habente bona aduentitia filii, alia ratio est, cum ea non habeat, ut legitimus administrator filius datus, sed proprio jure usum fructum teneat, proprietatè ad filios spectante, quemadmodum & Maritus dotem retinet, & administrat jure proprio propter usum-fructum ad se pertinentem, quare nec contra uxorem præscriptio in rebus dotalibus procedit, dum constante matrimonio agere non potest. *l. In rebus. 30. C. de jure dotium.*

CAPITVLVM V.

Vigilanti.

PARAPHRASIS.

Cauendum est, ne malà fide prædia aliena possideamus, quoniam nulla temporis diuturnitas malæ fidei possessionem adiuuat, & semper malæ fidei possessor aliquis censendus est, postquam sciuit rem alienam esse, donec resipuerit, videlicet restituendo. Ephesinus quidam legislator ob hominum res & jura sua non repetentium desidiam vitandam, & longi temporis errorem auferendum, 30. vel 40. annorum præscriptionem, etiam cum malæ fidei possessione introduxit, sed hæc

lex irrita est, & injusta, siue is, ad quem res pertinet, sibi competere sciat, siue ignoret.

SUMMARIUM.

1. Possessor mala fidei nullo unquam tempore præscribit.
2. Leges Cæsarea possessori mala fidei præscriptionem concedentes, à jure Canonico abolitæ sunt.
3. Vti mala fidei possessor præscribere rem non potest; ita potest bona fidei, siue dominus sciat, siue nesciat rem ad se pertinere, vel ab alio possideri.
4. Probabiliter tamen ignorans rem suam ab alio possideri, si ignorantia causam alleget, restitutionem in integrum obtinere debet.
5. Contra absentem, aut ignorantem, rem ab alio occupatam, & civilem possessionem retinentem, non currit præscriptio.

NOtand. I. Possessor malæ fidei nullo unquam tempore præscribit. *c. ult. hoc. tit. & regul. 2. in 6. vide, quæ docui l. 3. tr. 1. de just. c. 8. n. 10.*

Not. II. Possessori malæ fidei Cæsareo jure præscriptio conceditur ob odium Domini res suas petere negligentis *l. Si quis emptionis. §. Quod si quis. C. de præscriptione. 30. vel 40. annorum, & explicat Gratianus post C. Placuit. 15. causa. 16. q. 3. sed leges istæ Canonico jure abolitæ sunt, videri potest *Couar. in Reg. possessor. p. 2. §. 11.**

Potè sicuti malæ fidei possessor præscribere non potest, siue Dominus sciat, siue nesciat rem ad se pertinere, vel ab alio possideri, ut hic dicitur, ita vice versâ bonæ fidei possessor præscribere seu vsu capere rem potest, siue Dominus, aut is, ad quem res pertinet, sciat, siue ignoret ad se pertinere, vel ab altero possideri. *l. ult. prope fin. junctâ. gloss. ff. de præscript. longi temporis.*

Limita 1. Si probabiliter ignorans rem suam ab alio possideri, ignorantia causam alleget, quod restitutionem in integrum obtinere debeat, secundum *Abbatem. hic. n. 3. Bart. in l. 1. §. Si quis. ff. de itinere & c.*

Limita 2. Si absens, aut ignorans rem suam

suam ab alio occupatam esse, civilem possessionem retineat, non procedit contra eum praescriptio, ut docui in *cit. c. 8. n. 5.* & sumitur ex *l. Si id 23. §. Quod autem est. l. Si de eo. 40. §. Si forte. ff. de acquirenda possessione.*

Refert autem, num Dominus sciat rem suam ab alio occupatam esse, an non sciat; in 1. casu si rem dimittat, aut recuperare negligat, breui tempore eius civilem possessionem, quam naturaliter perdidit, etiam civiliter seu animo deseruisse censetur. *argumento. l. Quod meo. §. Si dum. ff. de acquirenda possessione.* sin autem ignoret, tunc requiritur ad amittendam possessionem, tanto tempore rem à Domino negligi, ut obliuio induci possit, & consequenter animus possidendi amissus sit. Secundum *Bart. in eis. l. Si de eo. §. Si forte.*

CAPITVLVM VI.

Ad aures.

PARAPHRASIS.

Parochus nomine Ecclesiae suae vindicare voluit jus decimarum, quia agri intra fines Parochiae constituti essent, sed alter Parochus, qui decimas ex his agris minimum 40. annis perceperat, praescriptione se defendit, hoc casu ait *Alexand. III.* huius possidentis meliorem esse conditionem, quia quadragenalis praescriptio omnem profusam actionem excludit.

SUMMARIVM.

1. Ecclesia contra Ecclesiam aliam non minus quam priuatus indiget quadraginta annis ad praescribendum in iuribus & rebus immobilibus.
2. Annorum 40. possessio cum bona fide praescriptionem inducit, per quam omnis actio excluditur.
3. Duplex huius praescriptionis effectus.

Notand. I. Sicuti priuatus, ita etiam Ecclesia contra aliam Ecclesiam indiget 40. annis ad praescribendum in iuribus & rebus immobilibus.

Obicitur, quod priuilegiatus non utitur priuilegio contra pariter priuilegiatum, sed utroque in tali casu cessante priuilegio, seruari debet jus commune, sicuti docent *DD.* in *l. Sed & milites. ff. De excusatione tutorum.*

Resp. Ex doctrina *Bart. in Auth. quas actiones. C. de sacrosanctis Ecclesiis,* Regulae illi tunc locum esse, si duo in eadem causa pariter priuilegiati sint, secus verò si pariter priuilegiati non sint, quia vnus agit de damno vitando, & alter de lucro non amittendo, qua ratione si Ecclesia laedatur ab altera Ecclesia, in integrum conceditur laesa restitutio, quia potior fauor est, seu priuilegium, ne Ecclesia damnum ferat, quam ne alteri lucrum auferatur. *l. verum. 12. §. ult. ff. de minoribus.*

Non item locus est Regulae, si vnus priuilegiatus sit in genere, alter verò specialiter in causa, de qua agitur, hoc enim casu speciale priuilegium praefertur, ut hinc: nam Ecclesia quae praescribit generaliter priuilegiata est, non item in causa praescriptionis, ut minore tempore, quam priuatus praescribere possit: at verò altera Ecclesia in hac ipsa causa praescriptionis priuilegiata est, ut minore quam 40. annorum tempore contra eam praescribi nequeat.

Nota II. 40. Annorum possessio cum bona fide praescriptionem inducit, per quam omnis actio excluditur.

Hinc collige, quod qui ita rem vsu cepit, eius jus siue dominium sibi acquirit, ex quo duo effectus sequuntur, 1. est, quod tamen post exactum legitimum tempus possessor cognouit rem ad alterum pertinuisse, eam tamen tanquam suam titulo vsucapionis factam retinere, nulloque iure cogi possit ad restitutionem, quandoquidem omnis actio, consequenter omne jus ex altera parte per legem praescriptionis exclusum est.

Alter, si is, qui rem dicto modo vsucepit, juris errore ductus restituat, ratus esse alienam & restitutioni obnoxiam, quod tanquam indebitè datum repetere, & ut suum vindicari possit. Sicut docui *cit. tr. 1. de just. §. 8. in fine.*

Id

Id solum monendi sumus, si jus possessori præsumptiuè resistat, ei verò, contra quem fit præscriptio assistat, vt in casu huius Capituli, tum vltra annos 40. requiri titulum coloratum, sine titulo autem præscriptionem non perfici, nisi tempore immemoriali. *l. 6. 1. eodem tit. in 6.*

CAPITVLVM VII.

Causam.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat super jure decimarum inter Archidiaconum Reginensem & G. Nobilem virum. Eam Alexand. III. commisit Parmensi Episcopo, mandans ei, vt adversus nobilem causam decidat, non obstante, quòd is præscriptionem temporis obijciat, aut concessionem factam à persona seu Ecclesiastica, seu sæculari; quia cum Laici decimas possidere non possint, nulla ratione eas præscribere valent.

SUMMARIUM.

1. Ius decimarum in personam vel communitatem laicam transferri, vel alienari non potest.
2. Ius decimarum in titulum habens, v.g. Parochus, earum fructus percipiendos vendere, vel ad tempus vitæ suæ elocare potest.
3. Prælatus Ecclesiasticus ex justa causa præcedente tractatu & consensu Capituli, decimas Laico in perpetuum feudum dare non potest. potuit ante Lateranense Concilium.
4. Laicus legitimo titulo decimas consecutus, an & quando alienare possit?
5. Ius decimarum Laicus nullo vnquam tempore præscribit.
6. Si tamen illud per tempus immemorabile, assistente sibi publica fama & opinione, habuerit presumptionem juris pro se habet ita, vt in neutro foro ad decimarum restitutionem teneatur.

NOT. I. Ius decimarum in personam Laicam (idèmq; sentiendum de com-

munitate Laicorum) transferri vel alienari non potest.

Sed exactiùs distinguendum: vel jus decimarum possidens est Ecclesiastica persona, vel laica; Si primum, vel habet jus decimarum in titulum Beneficij, v.g. Parochus aut Capellanus Ecclesiæ, hoc casu jus decimarum secundum se & absolutè alienare non potest, quamuis fructus percipiendos ad vnum, pluresue annos vendere, vel ad tempus vitæ suæ locare potest, ita vt mortuo ipso beneficiario expiret locatio seu concessio, quia extincto jure dantis, extinguitur etiam jus accipientis. *l. Lex vel galis. ff. de pignoribus. & docui l. 3. tract. 4. de Inst. c. 10. n. 5. & tract. 4. c. 6.* Vel jus decimarum competit in proprietatem, quia nexum est Monasterio, Prælaturæ, aut Episcopatu, tunc dicendum, quòd Abbas, aliusue Ecclesiæ Prælatus, ex justa causa, præcedente tractatu, & consensu Capituli decimas laico in feudum perpetuum dare potuerit ante Lateranense concil. sub Alexand. III. habitum anno M. C. LXXX. postea vetò talis in feudum concedendi facultas, in dicto Concilio penitus sublata fuit, vt docui *l. 4. tract. 6. c. 6. n. 4.* Verùm quæ decimæ ante Lateranense Concil. in feudum concedi solebant, eæ etiam postea à Prælatis concedi potuerunt, cum hæc non censeatur noua alienatio secundum *gl. in c. Prohibemus. 19. verb. Laicos de decimis. Felin. hic n. 4.*

Si secundum, tunc certum est, quòd Laicus decimarum jus alienare non possit, si illud titulo non legitimo consecutus est. *cit. c. Prohibemus.* Sin autem titulo legitimo, videlicet ex feudi concessione facta à Prælato ante Lateranense Concilium, tunc refert, quâ formâ feudum datum fuerit, num ex pacto & prouidentia, ita vt ad extraneam personam transferri non posset, an verò concessio absolutè facta sit, ita vt esset feudum liberum seu francum, ita *Felin. hic. n. 4.*

Not. II. Laicus jus decimarum nullo vnquam tempore præscribere potest, nam sine possessione (videlicet ciuili ac juridi-

ea) præscriptio non procedit. *Reg. 3. in 6.* Quare dici solet, quod incapax possidendi, est incapax præscribendi, sed Laicus jus decimarum, quippe, quod spirituale est, possidere nequit: Intelligi Ciuilitè ac Iuridicè, quamuis nonnunquam de facto Laici occupent, & detineant, consentit *c. 1. 16. q. 7.* & videri potest *gl. hic. verb. Detinere.*

Est autem hic exactè aduertendum, quòd in tali casu, si aliquis sit incapax possidendi jus Ecclesiasticum absque legitima concessione facta à Prælato Ecclesiæ, temporis etiam inmemoralis decursus, quamuis ignorantia inculcata, & bona fides coniuncta sit, non faciet illum possidere, aut præscribere. & hoc est, quod docent *Ioann. Monach. in c. 2. n. 5. de præbend. in 6. Ioann. Andr. ibid. n. 7.* Quòd autem Laicus ex sola immemoriali possessione jus spirituale, v. g. decimarum acquirere nunquam possit, ita probatur. Vel enim ipsi verè & legitime facta est concessio auctoritate Prælati, & tunc non acquirit per præscriptionem, cum acquisierit per priuilegium, titulum, seu concessionem; vel non est facta concessio legitima, tunc non possidet ciuilitè ac iuridicè, tametsi fortasse fama sit, aut publicus & inculpatus error de facta concessione: nam sicut erronea persuasio non facit verum titulum, ita nec veram, nec iuridicam possessionem, si ea ex juris dispositione absque vero titulo, seu causa competere non possit.

Verumtamen si Laicus jus decimarum, vel aliud simile, quod ex Ecclesiastici Prælati concessione obtineri à Laico potest & solet, per tempus immemorabile, assilente sibi publicâ famâ & opinione, habuerit, tanquam sibi legitime competat, tunc ex temporis huius diuturnitate habet præsumptionem juris pro se, ita vt ad decimarum restitutionem neque in externo, neque in interno conscientiarum foro obligari possit secundum doctrinam. *Alex. hic. n. 8. Felin. in c. Cum ex offic. n. 13. hoc tit.* Imò si spoliatus sit, restitui debet, prout docet *Conarr. l. 1. resolut. c. 17. n. 6.*

Quod verò *Suar. t. 1. de Relig. tract. 2. l. 1. de decim. c. 27.* & alij communiter do-

cent, requiri communem famam & opinionem in populo factæ legitimæ concessionis ab Ecclesiastico Prælato, id non ita intelligendum arbitror, vt in specie fama, siue traditio sit, quoniam pacto, & à quo, aut quando decimarum concessio facta fuerit, cum talis memoria ob temporis diuturnitatem aboleatur, sed sufficit, si à tempore immemoriali constans fama & persuasio fuerit, decimas ad Laicum de jure pertinuisse, quamuis in particulari nesciatur, quomodo, quando, vel à quo ad ipsum peruenerit, idque dico ad succurrendum multorum Laicorum conscientis, qui decimas à maioribus suis per antiquissima tempora acceperunt, & idèò adduci se non sinunt, vt restituant; interdum verò restituere non possunt, quia tantum per modum hypothecæ, seu anticryseos possident, aut quia decimæ fideicommissi aut feudi vinculo vnâ cum dominio, cui adhærent, adstrictæ sunt; consultum tamen est, vt partem aliquam abundantium reddituum suapte naturâ ex speciali titulo prouenientium in pauperes & alias pias causas expendant, præsertim cum non desit magna suspicio, decimas ad Laicos detentores frequenter peruénisse illegitimè, prout docui *l. 4. tract. 6. c. 6. n. 13.*

CAPITULUM VIII.

Illud autem:

PARAPHRASIS.

In antiquis Canonibus *cap. 1. & 2. cap. Quinquag. 4. 16. q. 3.* reperitur annis 30. possessiones, & jura Ecclesiarum aduersus eas præscribi posse, sed Ecclesia Romana minorem, quam 40. annorum præscriptionem non admittit, & idem procedit, si Ecclesia contra Ecclesiam præscribere velit, quòd 40. annorum continuatam possessionem ostendere debeat; sin autem possessionis interruptionem, aut vsucapionis factam esse obijciatur, tunc ab vtraque parte testes recipi debent, & si interruptio facta fuerit, præscriptio non obtinebit.

SYM-

SUMMARIUM.

1. Contra Ecclesiam tam à privato, quam ab Ecclesia circa bona immobilia & jura non præscribitur, nisi 40. annis, circa mobilia triennio.
2. Si simul ad Laicum & Ecclesiam jus quoddam pertineat divisibile, contra privatum, breviori tempore præscribitur, quam contra Ecclesiam, secus est, si jus sit indivisibile.
3. Interruptio præscriptionis alia est civilis, alia naturalis. Quia utriusque effectus.

1. **NOT. I.** Contra Ecclesiam siue à privato civis ab Ecclesia non præscribitur tempore minore quam annis 40. id verò intellige circa omnia bona immobilia, & jura, at verò circa mobilia Ecclesiæ bona absolvetur adversus eam præscriptio triennio, sicuti contra privatum, uti docui *l. 3. tract. 1. de Inst. c. 8. n. 13.*

2. Addendum hæc, si ad Laicum vnâ cum Ecclesiâ jus aliquod pertineat, distinguendum est, num illud divisibile sit, tunc breviori tempore contra privatum, quam contra Ecclesiam præscriptio conficietur. *Arg. l. 1. c. si in communi & c.* exempli causa: si Ecclesiæ & privato civi jus competat in alieno prato pascendi pecora, vel agendi currus, & decem annis non utatur eo civis, per viam præscriptionis spatio decennii excludi potest, uti docui *sit. tract. 1. c. 9. dicto 3.* Ecclesia autem non nisi post annos 40. jure suo privabitur propter omissionem. At verò si jus, seu servitus indivisibilis sit, tunc privatus propter communionem cum Ecclesia eodem 40. annorum tempore gaudebit *juxta l. 9. ff. quemadmodum servitus amittatur, si communem fundum ego & pupillus haberemus, licet uterque non vteretur, tamen propter pupillum (contra quæ in pupillari ætate præscriptio non procedit) & ego viam retineo; ubi gl. marginalis ait, quod privilegium vnus consortis prodest alteri non privilegiato in re indivisibili, quemadmodum hoc ipsum cernere est in jure patronatus pertinente simul ad Ecclesiam & Patronum laicum, quod huic pro-*

pter communionem cum Ecclesia sex menses ad præsentandum concedantur, secundum *Gl. receptam. in c. vn. verb. Ecclesiasticus. de jure Patronatus. in 6.*

Not. II. Præscriptio semel legitimè cepta quandoque interruptitur. Est autem duplex præscriptionis interruptio, secundum *Gl. receptam. hic. verb. Interruptio, naturalis & civilis.* Naturaliter interruptitur præscriptio, si possessio, eaque civilis amittatur per spoliationem, idque locum habet tum in rebus corporalibus, tum in incorporeis, seu juribus, ut si sim in possessione eligendi, aut præsentandi, & vel vna vice repulsus discedâ, ex eo tempore interrupta est præscriptio, ut postea de novo inchoare necessarium sit. Præterea interruptitur præscriptio naturaliter, si bona fides amittatur, quia rei alienæ scientia interuenit: nam hæc duo, possessio & bona fides necessariò requiruntur ad vsucapionis progressum, ergo si vnum cesset, cursus vsucapionis interruptitur. videri potest *Alex. hic. n. 21.*

Civiliter interruptitur præscriptio ex Iuris dispositione, per actum aliquem interpositum videlicet motæ litis super re ab altero possessa, sed distinguendum inter præscriptionem triennalem, & quæ longi, aut longissimi 30. vel 40. annorum temporis est. Illa per litis contestationem non interruptitur, sed continuatur, ita tamen, ut si, quamvis post lapsum interea triennium adversus possessorem sententia lata sit, res possessa restitui debeat, non habita ratione vsucapionis. *l. 2. §. ult. ff. Pro emptore. & docet Abbas hic. n. 4. Covarr. Reg. possessor. p. 2. §. 12. n. 4. Molin. tract. 2. de Inst. D. 78. n. 12.* Nam hæc triennalis possessio valdè favorabilis est, & duntaxat in fauorem possidentis introducta, at verò præscriptio temporis longi (idemque sentiendum de tempore longissimo) videlicet 10. annorum inter præsentem, & 20. inter absentes circa rem immobilem cum titulo colorato, per litis contestationem coram Iudice competente, interruptitur. *l. More. 26. e. De rei*

vindicatione. Et dici solet talis præscriptio introducta partim in fauorem possidentis, partim in odium jus suum recuperare negligentis, vti videre licet apud *Gratiam, in c. Placuit. 15. 16. q. 3.* Opus tamen est sententiam postea ferri aduersus possessorem ad hoc, vt per litem contestationem præscriptio interrupta censeatur, *Arg. l. Euidenter. 16. ff. de except. rei iudicata, & docet Molin. n. 14.*

CAPITVLVM IX.

Quia.

PARAPHRASIS.

Inter duos Abbates controuersia erat circa fines agrorum; ea propter Alex. III. iussit eam agrimensoris definitione terminari, & hoc ipso c. mandat delegatis suis, vt ad loca, de quibus est contentio, accedant, vt in præsentia sua controuersiam secundùm iura sua faciant finire exceptione præscriptionis 40. annorum vtrique parti reseruata.

SUMMARIVM.

1. In controuersia circa fines agrorum adhibendus agrimensor, & iuxta eius pronuntiatum illa definienda.
2. Agrimensore malè pronuntiante, quod remedium læso competat.
3. Aduersus agrimensorem non competit actio locati, si et aliquid remunerationis causa acceperit.
4. Idem est de Notario, Aduocato, Medico, Iurisperito & similibus, qui itidem non obligantur ex culpa ciuili, etsi pro opera præstita honorarium acceperint. Si tamen hi ob imperitiam læserunt partem, actione in factum tenentur ad præstandum interesse.
5. Exceptio præscriptionis, si difficultatem habet, differri potest post litem contestationem, vt examinatur.

Not. I. Si lis de finibus agrorum oriatur, agrimensor in partium, vel, si opus sit, etiam iudicis præsentia adhibendus est,

& secundùm huius pronuntiatum causa definiri debet. Vide, quæ dixi in *c. 3. & 4. De probat.*

Quæritur. Si agrimensor malè pronuntiauit, quodnam remedium competit ei, qui læsus est? *Re.* De hoc videndam esse *l. 1. & seqq. ff. Si mensor falsum modum dixit,* videlicet, contra mensorem agi posse actione in factum ad præstandum id, quatenus interest actoris, quod mensor falsò pronuntiauit, dummodò is dolosè egerit, vel in culpa lata, quæ dolo æquiparatur, fuisse deprehendatur; sed de alia culpa, seu negligentia sua non tenetur, cum aduersus eum actio locati non competat, tametsi aliquid remunerationis causa acceperit; cum enim singularis industria hominis interueniat, id, quod datur, non operis mercedem, sed honorarium pro beneficio præstito veteres appellarunt. Quamobrem licet actio ista contra mensorem hæredi, aut successori concedatur, non tamen aduersus hæredem mensoris, cum quodammodo pœnalis, a deòque personæ inhærens, non rei persecutoria sit. *l. 3. §. Hanc actionem. ff. eodem.*

Idemque pari ratione dicendum est, de Notario, Aduocato, Medico, Jurisperito & similibus personis, quod non obligentur ex culpa ciuili, tametsi pro beneficio præstito honorarium accipiunt, vti colligitur ex *l. ult. c. de Magistratibus conueniendis.* Quare quod dicere solent DD. si Medicus, Jurisperitus, aut Confessarius, mercedem accipiat pro opera præstita, quod transeat contractus in locationem, id non propriè dicitur, sed de quasi locatione accipi debet, vti hic *Abb. notauit. n. 3. cum Bart. in cit. l. 1. & sumitur ex l. 1. ff. de variis & extraordinariis cognitionibus. iuncta Gl.* vbi dicitur, quod Iudicis implorato officio extra ordinem mercedes ac salaria perantur. Vide, quæ docui *l. 3. tr. 4. de Inst. c. 7. ass. 4.* & quod Dynus & alij docent in *regul. 19. in 6.* non est sine culpa (intellige latam, quæ dolo, juris præsumptione, æquiparatur) qui rei, quæ ad se non pertinet, se immisceat, quod videlicet Notarij, Medici, Jurisperiti & similes, qui se peritos in arte profitentur, cum non sint, si ob imperitiam læse-

læserunt partem, quacum quasi contraxerunt, actione in factum teneantur ad præstandum interesse, sicuti hoc ipsum de Iudice traditur *insti. de obligationibus ex quasi delicto. principio.*

Not. II. Exceptio præscriptionis, quæ numerari debet inter exceptiones litis finitæ, si difficultatem & intricacionem habere videatur, post litis contestationem differri potest, ut examinetur, ita sumitur ex hoc cap. & indicat *Alex. n. 10. & docui in c. 1. de litis contest. in 6.*

CAPITVLVM X.

Ex transmissa.

PARAPHRASIS.

Erat Ecclesia matrix de Camenone pertinens jure proprietatis, seu incorporacionis ad Monasterium Habennense. Ea Ecclesia alias Ecclesias filiales, seu Capellas sibi subiectas habebat, ita, ut Parochiani harum ad decimas, & alias oblationes matri Ecclesie, spectato jure communi, obligarentur, sed Clerici earundem filialium paulatim omne jus parochiale præter jus funerandi matri Ecclesie subtraxerunt: de hac re consultus Lucius III. mandat, ut decimæ, oblationes, & aliæ obventiones (non obstante vsucapione, quæ tempore hostilitatis processit) dictæ Ecclesie matri restituantur.

S V M M A R I V M.

1. Decima prædiales, oblationes, quæ obveniunt ex Ecclesia filiali, & jus funerandi, de jure communi debentur Ecclesie matri.
2. Tempore hostilitatis præscriptio non currit.
3. Idem est, si ob pestilentiam jus non dicatur, vel aliud impedimentum juris intrinsicum.
4. Impedito agere de jure, non currit præscriptio, impedito autem de facto currit: restituendus tamen est, si justum fuit impedimentum.

Not. I. Decimæ prædiales, & oblationes, quæ proveniunt in Ecclesia filiali,

itemque funerandi, spectato communi jure, pertinent ad Ecclesiam Parochialem matricem, ita tamen, ut Sacerdoti & Clericis, qui filiali præsumunt, congrua sustentatio provideatur. *c. Ad audientiam. 3. de Ecclesiis adificandis.*

Not. II. Tempore hostilitatis, cum ob hostium incursum jus non dicitur, quia homines aliò diffugerunt, præscriptio non currit, sed quiescit ac veluti dormit, postea iterum progressura, cum impedimentum, quo minus actio institui potuerit, sublatum fuerit, ita, ut tempus illud, quo præscriptionis cursus cessavit, inde subtrahendum sit, *cap. Auditis. 15. hoc tit. & docet Innoc. hic. n. 1. & explicavi l. 3. tr. 1. de Inst. c. 8. n. 19.*

Idem verò dici debet in casu omninò simili, videlicet si ob pestilentiam jus non dicatur, neque verò refert, quod id jure expressum non reperiatur, quia non omnes casus legibus comprehendi possunt, sed cum vnus pro facti relatione ac specie decisis fuit, ad alios similes decisio ob identitatem rationis extendi debet, *l. Non possunt. 12. ff. de legibus. & not. Bartol. in l. Naturaliter. 23. ff. de vsucapionibus.*

Loquor autem de impedimentò juris, quod est intrinsicum, quia vel judicia non aguntur, vel Ecclesia vacat, aut defensore destituitur, aut pupillus in ætate pupillari, vxor constante matrimonio pro bonis dotalibus, & filius pro bonis adventitiis agere prohibetur; aliud verò est impedimentum facti & extrinsecum, si quis spectato jure agere possit, sed extrinseca causa. v. g. necessitatis absentia ob Rempub. impeditur; hoc casu præscriptio currit & perficitur; sed conceditur beneficium restitutionis in integrum. Vti docui in *cit. c. 8. n. 22.* Quare Regulam collige ex *Felin. h. n. 8.* impedito agere de jure non currit præscriptio, sed impedito agere de facto currit, quamvis restituendus sit, si impedimentum justum fuit.

CAPITVLVM XI.

Accedentes.

PARAPHRASIS.

Præpositus. S. Nazarij & Canonicus S. Stephani

phani tanquam Procuratores seu Syndici primarij, & Clerici Mediolanens. questi sunt, de Canonicis ordinariis seu Ecclesie Cathedralis, quod Legatis & Nuntiis Rom. Sedis procuraciones dare nolint, ex quo & ipsi & alij Clerici magis grauantur, dum maius expensarum subsidium ministrare debent. Hoc intellecto Innoc. III. considerans id, quod omnibus incumbit, ab omnibus comportari oportere, mandat Abbati cuidam, vt Canonicos, nisi se ostendant immunes à procuracionibus, vi priuilegij Apostolici, ad procuracionis sarcinam ordine debito prestandam compellat, non obstante quòd tempore longissimo procuracionis obsequium non impenderint, cum in talibus præscriptio locum habere non possit.

S V M M A R I V M.

1. Clerus ciuitatis vel oppidi, licet vnum Rectorem non habeant, possunt tamen Collegium seu Vniuersitatem in causis sibi communibus, & in his sibi constituere Procuratorem seu Syndicum.
2. Tributa census, & alia communia onera, iuxta facultatum proportionem, ab omnibus quorum interest, prestanda.
3. Contra procuraciones quæ legatis Apostolicis debentur, præscribi non potest.
4. Declaratur & limitatur.
5. Contra procuraciones per tempus immemorabile, vel 40. annos cum titulo indirectè præscribi potest.

1 Not. I. Clerus alicuius ciuitatis aut oppidi, licet non habeant Rectorem, vnum tamen possunt facere Collegium seu vniuersitatem in causis, quæ ipsis communiter incumbunt, & in his constituere Procuratorem seu Syndicum. Ita *Abb. hic not. n. 3. Felin. n. 1. post Innoc. III. in cap. Dilecta. 14. de excessibus Prælatorum*, vbi ait, quòd tales Clerici possint inter se instituere Collegium seu fraternitatem causâ Religionis. v. g. pro Missis legendis. *argumento. l. 1. ff. de Collegiis illicitis.*

2 Not. II. Conveniens est vt tributa, & census & similia onera ordine debito. vide-

licet secundum facultatum proportionem præstentur ab omnibus, quorum interest, seu qui in eadem causa sunt, ne, dum aliqui immunes esse voluat, alij plus iusto grauentur.

Not. III. Contra procuraciones, quæ Legatis Apostolicis debentur, præscribi non potest.

Sed contra: quidquid priuilegio acquiri potest, id etiam per consuetudinem, aut prescriptionem saltem immemorabilem acquiri potest; atqui immunitas à procuracionibus priuilegio acquiri potest, vt dicitur in text. ergo &c.

Varia sunt Respon. Canonistarum hic & in c. *Cum instantia. 17. de censibus.*

Respondeo & dico **1.** Directè contra Procuraciones, ita, vt Apostolicis Legatis nõ soluantur, cum eorundem præiudicio, præscribi nunquam potest. Ita *Bald. apud Alex. hic n. 18.* Quòd contra procuracionem præscribi non potest, quia debetur propter honorem Sedis Apostolicæ. Alia verò ratio est de priuilegio: nam priuilegium concessum à Papa revocari potest, at verò præscriptio tribuit jus aduersus eum, erga quem præscribitur; quare procedere non potest aduersus supremam potestatem, seu plenitudinem potestatis papalis, quam habet Papa in Ecclesiasticis beneficiis.

Nec obstat quòd *l. 3. tr. 3. de iust. p. 1. c. 3. n. 5.* dixi, subditum tempore immemorabili præscribere posse immunitatem à tributis Principi suo prestandis, non obstante *l. 6. Cod. de prescript. 30. vel 40. annorum.* Est enim discrimen inter Imperatorem, aliumve sæcularem Principem & Papam, quia Princeps sæcularis sicuti absolute aliquem eximere potest à iurisdictione sua, sic etiam limitatè tribuendo immunitatem à tributis, ita quidem, vt concessio transeat in contrarium & revocari non possit; at verò Papa sicuti nullum fidelem ab obedientia & subiectione eximere potest, ita specialiter Clericis seu Beneficiariis concedere non potest absolutam exemptionem, & immunitatem quoad Ecclesiastica beneficia, quominus in signum plenitudinis potestatis, quam semper

Cùm non liceat.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Bracharensis questus est de quibusdam Prioribus, quorum Ecclesiæ in diocesi eius fixæ erant, quòd obedientiam præstare contumaciter recusent, hoc intellectu admiratus est Pontifex, cùm non liceat membris à capite recedere; quare mandat illis Prioribus, ut non obstante præscriptione temporis, obedientiam ac reuerentiam Bracharensi Episcopo ac Ecclesiæ eius, sicuti alij Clerici diocesis impendant.

SUMMARIUM.

1. Non tantùm Canonici Cathedralis, sed etiam alij Prælati, imò omnes Diocesani cum Episcopo particularis Ecclesiæ corpus constituunt.
2. Clerici inferiores non tantùm Episcopo, sed accessoris etiam Cathedrali Capitulo obedientiam & reuerentiam exhibere debent.
3. Subditus contra Prælati obedientiam & reuerentiam ipsi debitam præscribere non potest.
4. Ecclesiæ præscribere potest contra unum Episcopum, vel Archiepiscopum, ita ut non ipsi, sed alteri Episcopo, vel Archiepiscopo subijciatur.
5. Tota communitas, Provincia aut regnum potest præscribere contra jurisdictionem Imperatoris, non autem priuatus præscribere potest immunitatem seu exemptionem exclusiue, ita ut nemini in temporalibus subsit.

Not. I. Licet principaliter ac proximius Canonici Cathedralis censeantur esse cum Episcopo connexi, tanquam membra cum capite. c. Noni. 4. de his, quæ fiunt à Prælati, tamen etiam reliqui Prælati diocesis, tanquam membra cum Episcopo ut capite unum corpus constituunt, imò verò ampliore significatione omnes Diocesani cum Episcopo particularis Ecclesiæ corpus faciunt, quem-

per retinet, aliquid exigere queat. Videtur potest Felin. c. Cum nobis. 14. n. 24. h. tit.

Ex quo etiam patet ratio ad obiectionem; negamus enim, quòd Pontifex tale priuilegium exemptionis dare possit, quo jus acquiratur contra Papam, sicuti per præscriptionem acquiritur.

Dico 2. Contra procuraciones eiusmodi per tempus immemorabile, vel 40. annos cum titulo præscribi potest indirectè. Ita videlicet, ut Legatis totum, quod necessarium est, proueniat, sed aliqui Clerici à præstatione immunes sint; alij autem tantò plus grauentur, atque ita in effectum præscriptio tendat contra alios Clericos beneficiaarios, ita Ioan. de Lignano, quem hic sequitur Antonius, & alij apud Alex. n. 18: quia nulla ratio afferri potest, cur talis præscriptio contra vnã partem Cleri procedere non possit.

Nec obstat text. c. huius, cùm enim in iure dicitur, præscriptionem etiam temporis longissimi non procedere, non comprehendit debet centenaria, vel immemoralis, dummodò capacitas sit in præscribente, ut optimè docuit Bald. in l. Omnes. n. 6. & 7. C. de præscript. 30. & 40. annorum. Felin. in rubr. huius tit. n. 18. ipsemet Abb. in c. ult. hoc tit. & simile est, quod docui in l. 1. tr. 4. e. ult. n. 7. §. Imò verò.

Sed limitari debet assertio, nisi onus siue grauamen ita in aliquos paucos, aut pauperes Clericos reijciatur, ut ipsis portabile non sit, cùm id charitati repugnet, & rectæ rationi, idèoque per præscriptionem introduci nequit, quemadmodum nec per priuilegiũ talis exemptio quorundam, cum graui aliorum detrimento, grauamine, aut scandalo iuncta à Principe concedi solet, aut potest cap. Suggestum. 9. de decimis. & l. 2. C. De precibus Imp. offerendis. Sin autem exemptionis priuilegium aliquibus inferior magistratus conferat, tunc non debent exinde alij plus grauari, sed in eximentis detrimentum id cedere oportet, præterquam si iusta causa subsit, ut quia DD. pro Repub. laborantes ratione dignitatis, aut meritorum exi-

muntur, Alex. hic n. 35.

Felin. n. 7.

quemadmodum omnes, qui vbiq; sunt fideles cum summo Pontifice Ecclesiam universalem. *c. Significasti. 4. in fine de electione.*

Not. II. Clerici inferiores non tantum
2 Episcopo, sed accessorie etiam Cathedrali Capitulo obedientiam & reverentiam exhibere debent. Ita sumitur ex *text. & c. Cum Clerici. 29. juncta Gl. verb. principaliter, de verbor. signif.* Ratio petitur ex communiōne, quæ est inter Episcopum & Capitulum Cathedrale. Ex quo fit, vt qui in spiritualibus Episcopo subiectus sit, quodammodo etiam Capitulo se subiectum fateri debeat, sicuti qui viro tanquam Domino obedientiam & reverentiam proficitur, quodammodo etiam vxori debet, de Capitulo loquor, non de singulis Canonicis, quia non singuli, sed Capitulum publicum officium gerit. vti ait *Innoc. 6. Cum dilectus. num. 5. de consuetudine.*

Not. III. Qui faretur se subditum esse
3 Prælati, non potest præscribere contra obedientiam & reverentiam ipsi debitam. Ita intellexit hoc Capitulum *Innoc. & sumitur ex Rubrica Capituli*, quod subditus non præscribat obedientiam contra Prælatum, Quia ad vsucapionem requiritur possessio, dum autem aliquis pro subdito se gerit, non est in possessione immunitatis seu exemptionis, ergo contra eam non præscribit quæ potestati gubernatrici intrinseca est, videlicet quominus superiori obedire, eique reverentiam exhibere teneamur.

Ceterum, si Ecclesia aliqua intra diocesisin posita à tempore immemoriali sit in possessione exemptionis cum bona fide, per tempus immemorabile præscribere potest, licet nullum exemptionis priuilegium exhiberi queat. *c. Cum olim. 14. de priuilegiis. cap. Cum persone. 7. eodem tit. in 6.*

Aliam explicationem adferunt hinc *Gloss. vlt. Abb. n. 13. Alex. n. 69.* Quod subditus nunquam possit exemptionem ab obedientia & subiectione præscribere exclusiue, possit tamen translatiue. Sed arbitror ita dicendum esse 1. Certum est, quod nemo se ab obedientia Episcopi per vim præscriptionis eximere possit, ita vt nec Papæ sit subiectus;

quemadmodum si Ecclesia intra diocesisin constituta dicat se se exemptam ab Episcopo, & consequenter immediatè subiectam Sedi Romanæ; principaliter agitur de iure Rom. Pontif. de quo minimè dubitatur, quinis contra Ecclesiam inferiorem, v.g. Cathedrali præscribere possit. 2. Certum est, quod Ecclesia præscribere possit contra vnum Episcopum, aut Archiepiscopum, ita, vt non ipsi, sed alteri Episcopo vel Archiepiscopo subijciatur, quæ dicitur præscriptio exemptionis translatiua, & ita docet *Glossa in cap. Auditis. 15. h. tit. & habetur expressè in cap. Cum ex officiis. 16. hoc tit.*

Difficultas verò est: Num aliqui contra Imperatoris iurisdictionem præscribere possint, ita vt omnimodè exempti sint. Negat *Abb. hic n. 16.* vbi addit, quod nec Imperator possit concedere priuilegium omnimodæ exemptionis, quia hoc esset lacerare Imperium. Veruntamen tametsi hoc concedatur, non sequitur tamen, quod præscriptio locum non habeat, nam etiam Prælati Ecclesiæ suæ iura & bona eius donare, remittere, & arbitrato suo alienare non potest. Sicuti nec Rex iura Coronæ regni. *c. Intellecto. 33. De iureiur.* & tamen per præscriptionem talia iura alienari, seu perdi possunt propter negligentiam & taciturnitatem Prælati. Quemadmodum *Bart. in l. Hostes. n. 6. ff. de captiuis*, & alij apud *Felin. n. 4.* dicunt, quod tota communitas, prouincia, aut regnum cum scientia aut patientia Imperatoris omnino se per temporis immemorialis decursum eximere potest. Sin autem loquimur de priuatis quibuslibet, tunc rectè dicitur, quod non possint præscribere immunitatem seu exemptionem exclusiue, ita vt nemini in temporalibus subsint, sed sint accephali, quandoquidem id gentium iuri repugnat, secundum quod *Respub. ac societates hominum*, & quæ inde manant, potestas gubernandi instituta est: possunt tamen priuati præscribere immunitatem translatiue, ita vt alteri Domino, vel Regi subijciantur: quo casu etiam ipsis, saltem secundario acquiratur jus aliquod, pro quo in iudicio agere possunt, quandoquidem ipsorum interest, vt non

vt non auellantur à Domino, cui temporis diuturnitate paruerunt, sicuti hinc notat *Abb.*

844. 15.

CAPITVLVM XIII.

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter virum Nobilem Matafelonem & Castellanus siue Dominum de castro Palatioli. Nobilis dicebat, ex eo castro sibi deberi annuos 40. solidos denariorum Papiensium loco ac nomine Ecclesiæ Romanæ; Insuper etiam procurationes, seu victualia, jus edicti ac banni; itémque iurisdictionem forensam, & omnia iura, quæ Ecclesiæ Romanæ in omni loco competunt. Verùm, hæc Nobili debita esse, Castellanus constanter negauit, quamobrem Nobilis ad probandam intentionem, produxit priuilegium Alexand. III. & librum censualem Rom. Ecclesiæ, insuper & testes, qui dicebant se vidisse dictum censum Nuntiis sedis Apostolicæ solutum fuisse. Ad hæc Castellanus respondit, quod priuilegio suo Nobilis usus non fuerit annis 30. & liber censualis suspectus sit, quia non in Camera Apostolica adseruatus erat, atque scriniarius seu tabellio aliter dicta testium scripserit, quam illi deposuerunt.

His relatis Innoc. III. ait, se pluris facere priuilegium, quam testium depositiones; librum verò censualem pro suspecto non esse habendum, licet non in Apostolicæ sedis, sed in Cardinalis S. Adriani Camera inuentus sit, qui eum ex Camera S. Petri accepit, neque existimandum esse, scriniarium qui iuratus est officium suum fideliter exequi, aliud scripsisse, quam testes deponerent; denique ait, id maxime esse perpendendum, quod negotium hoc principaliter pertineat ad Ecclesiam Romanam, contra quam non nisi centenaria præscriptio currit. Ob hæc itaque Pontifex ad solutionem censûs & alia omnia, quæ petita erant, condemnauit Castella-

num, iniungens ei, non intuitu suæ personæ, sed Ecclesiæ Romanæ, cuius nomine & auctoritate ille præcipere debet, quippe eiusdem Vasallus existens, ea absque cunctatione persoluat.

SUMMARIVM.

1. *Vi libro censuali antiquo credatur, debet asseruari in loco non suspecto, scilicet apud publicum & iuratum officialem.*
2. *Notario publico & iurato fides habenda est.*
3. *Publicis actis ab eo in iudicio scriptis absque testium subscriptione plena fides habetur.*
4. *An plus credendum actis & scripturae Notarii, quam testi neganti se hæc dixisse.*
5. *Per scripturas authenticas facilius probatur census, quam per testes.*
6. *Contra Ecclesiam Romanam & habentem jus ab ea, non præscribitur ante 100. annos.*
7. *Limitatur doctrina hæc, si inter duas Ecclesias controuersia sit de subiectione.*
8. *An extraneus jus feudi præscribere possit contra vasallum, vel etiam ipsum Dominum.*

NOT. I. Ad hoc vt libro censuali antiquo fides habeatur, requiritur, vt in loco non suspecto asseruetur, videlicet, apud publicum & iuratum officialem. Vide *Felin. hic. n. 13.* & quæ docui in *c. Cum causam. 13. de probationibus.*

Not. II. Notario publico & iurato ratione sui officii, fides habenda est, vt docui in *c. Quoniam. 11. notand. 1. de probationibus.* & generatim, quod alicui ratione officii maior fides habeatur, tradit *Mench. l. 2. arbitr. casu. 99. n. 4.*

Est verò id speciale in Notario, quod publicis actis ab eo in iudicio scriptis, absque testium subscriptione plena fides habenda sit, vt docent *DD. l. In donationibus. 31. C. de donationibus gloss. in l. Si quis. 21. verb. auctorem. C. ad. l. Corneliam de falsis. & notauit. hic. Innoc. n. 1. & Andr. n. 5.*

Num verò plus credendum sit actis seu scripturæ Notarii, quam testi neganti se hæc dixisse, tractat *Speculator. l. 1. p. 4. tit. de test.*

k k k

§. 1.

§. 1. n. 48. vbi respondet & Alex. hñc, & dicunt. 1. Si Notarius scripsit presente Iudice, scripturæ magis esse credendum, quàm testibus negantibus. 2. Tametsi Iudice absente scripserit, magis ei credendum esse, si bonæ famæ sit, quàm testibus etiam pluribus negantibus, eò quòd testes, cùm seorsim deposuerint, singulares sint. 3. Ait Alex. Si vna cum Notario aliæ personæ interfuerint, v.g. vnus, vel plures examinatores & hi concordent cum teste negante, plus ipsis credendum, quàm scriptioni Notarii, quamuis eerra de his regula tradi non possit, sed Iudex ex circumstantiis causæ (& num civiliter, an criminaliter agatur) & personarum arbitrari debeat.

5. Not. III. Per scripturas authenticas facilius probatur census, quàm per testes, ita Ioann. Andr. n. 2. & benè declarat Alexand. n. 26. quia testes plerunque tantum de facto, videlicet solutionem factam esse, ignorantes ex qua causa, de quo dicitur. c. Peruenit. 5. de censibus. at verò ex libro censuali apparet solutionem census debitam esse, id quòque efficacius probat intentionem petitoris & magis adhuc priuilegium à Papa concessum, si in eo dispositiue seu fundando intentionem dispositionis, dicatur, jus aliquod ad Romanam Ecclesiam pertinere, tum id plenè probat propter Pontificiæ dignitatis auctoritatem. c. Si Papa. 19. de priuileg. in 6. Id in proposito casu videre est, nam Alexand. Papa Nobilem tanquam Vasallum per priuilegium inuestierat super censu, & aliis iuribus; proprietate ad Ecclesiam Rom. pertinente. Ergo huic tenori, siue contentis priuilegii fides habenda est, cùm in eo fundetur Papæ intentio, dispositio, seu concessio priuilegii.

6. Not. IV. Contra iura Rom. Ecclesiæ non perficitur præscriptio ante 100. annos, & potest hoc priuilegiū centenariæ præscriptionis etiam alteri in consequentiã prodesse, quatenus jus habet à Rom. Ecclesia, sicuti hñc apparet, quia licet per annos 30. Nobilis feudatarius concessio sibi iure vsus non fuerit, ac proinde quatenus erat ex ipsius parte præscriptum fuerit, tamen propter

prærogatiuam Sedis Apostolicæ Nobili causa adiudicata fuit, & idem sumitur ex c. Cùm dilecta. 4. de confirmatione vtili, & docet hñc In. oc. in fine. Abbas. n. 12.

Interim tamen fateri debemus, si inter duas Ecclesias controuersia sit de iure subiectionis, causam adiudicandam esse ei, quæ 40. annorum possessione se defendit, ita tamen, vt jus integrum & illæsum remaneat Sedi Apostolicæ, si postea appareat Ecclesiam immediatè ipsi subiectam fuisse, ita vt nihilominus ante 100. annorum decursum Ecclesiam sibi vindicare nequeat, c. 2. de Capell. Monach. juncta. Gloss. verb. generetur.

Disputant hñc, cum gl. verb. principaliter. 8. num extraneus jus feudi præscribere possit cõtra Vasallum, vel etiam ipsùm Dominum.

Resp. & Dico 1. Extraneus contra Vasallum jus feudi, vel dominium vtile 30. vel 40. annis præscribere potest, siue Dominus feudi sciat, siue ignoret, si videlicet Titio & hæredibus eius à Principe prædium cum iuribus suis in feudum datum sit, sed Caius bona fide per tempus longissimum pro Vasallo se gerat, præstans ea, quæ Vasalli iure debet, aut potest, excludit Titium à iure feudi ita gloss. cit. Abbas hñc. n. 14. Felin. n. 14. & alii apud Rosenthal. de feudis. c. 3. const. 97. l. 2. vbi testatur, id specialiter in feudis esse receptum, vt breuiori, quàm 40. annorum tempore non præscribatur.

Dico 2. Extraneus contra Dominum jus feudi seu vtile dominium præscribere potest 30. vel 40. annis, si is sciat, sed contra ignorantem opus est tempore immemoriali. Prior pars est communis apud Abbat. hñc. n. 19. Alex. n. 48. Rosenthal. l. c. in Comment. lit. L. Posterior pars à plerisque recepta est, vti videre licet apud Clarum. l. 4. sententiarum. §. feudum. q. 45. n. 2. Rosenthal. lit. G. & sumitur ex l. 1. feudorum tit. de Capitulis Conradi. vbi dicitur, quòd liceat Dominis omnes alienationes feudi (ipsis ignorantibus) factas, nulla obstante præscriptione renouare; in eiusmodi autem generali præscriptionis prohibitione non censetur comprehensa immemorialis; item quæ 100. est

anno

annorum, ut supra dixi. Caterum tali casu, quod contra Vasallum annis 30. præscriptum est, si Dominus recuperet feudum absque consensu suo alienatum, non tenetur restituere Vasallo, vel hæredibus eius, quia ob negligentiam id non merentur, sicuti docet *Rosenthal. lit. Q.*

Dico 3. Si extraneus, in quem facta est alienatio, aut translatio possessionis feudi, rem tanquam non feudalem, sed allodiam possideat cum bona fide annis 30. usufrucapit directum Dominium aduersus Dominum ita *Alex. hic. n. 53.* Veruntamen ob justam ignorantiam causam Domino restitutio in integrum concedetur. Et similiter Vasallus si pro libero se gerat cum bona fide, directum dominium sibi per 30. vel 40. annos via usufrucapionis acquirere potest, uti ex communi *Abbas. hic docet. n. 17. Alex. n. 57.*

CAPITULUM XIV.

Cum vobis.

PARAPHRASIS.

Jure tum Cæsareo (*authent. quas actiones C. de SS. Ecclesiis, & authent. ut Ecclesia Rom. & collat. 2.*) tum Canonico decretum est, ut contra Ecclesiam Romanam ob speciale privilegium præscriptio ante annos 100. non perficiatur, debet tamen inde deduci tempus intercedentis schismatis, cum schisma secundum juris ordinem præscriptionis cursum impedire debeat.

SUMMARIUM.

1. Contra Ecclesiam Romanam circa bona immobilia & jura eius particularia non præscribitur nisi 100. annis.
2. Circa Vniuersalem jurisdictionem in omnes fideles & plenitudinem potestatis papalis, nec per præscriptionem, nec per privilegium derogari potest.
3. Res quam Papa inferiori nunquam concedere solet, per præscriptionem acquiri non potest.
4. Ad præscribendam rem, quam Papa quan-

doque concedere solet, sufficit possessio temporis immemoralis cum bona fide, nec opus est alio titulo nec sententia, aut patientia Papæ.

5. Tempore schismatis non procedit præscriptio centenaria, sed interim suspensa est.

NOT. I. Contra Ecclesiam Romanam circa bona immobilia, & jura eius particularia non perficitur præscriptio ante annos 100.

Nota, quod dico *Particularia*, at verò quoad vniuersalem jurisdictionem in omnes fideles, & quoad plenitudinem potestatis Papalis per præscriptionem derogari non potest, sicuti nec per privilegium.

Addit gloss in c. 1. verb. non obstante. de Clerico agrotante in 6. *Alex. hic. n. 14.* quod ea quæ Papæ in signum prærogatiuæ specialis reseruata sunt, & inter causas maiores numerantur in c. 2. de translatione Episcopi. & c. 3. de Baptismo. nunquam usufrucapari possunt, sed *Abbas. hic ait*, quod talia per præscriptionem acquiri possunt decursu temporis immemoralis, si adsit scientia & patientia Pontificis, ea enim in præscriptione rerum incorporaliū seu iurium necessaria est l. 2. C. de fernitutibus. *Felin. autem hic. n. 2.* arbitratur opus non esse in hoc casu scientia & patientia Papæ, cum temporis immemoralis decursus, & possessio cum bona fide habeat vim privilegii seu constituti. l. Hoc jure. 3. §. Aqua ductus. ff. de aqua quotidiana.

In hac controuersia respondeo & dico 1. Si talis res sit, quam Papa concedere inferiori nunquam solet, vera est sententia *Alexand.* quod per præscriptionem acquiri non possit: cum enim Sedi Apostolicæ in signum prærogatiuæ specialis competat, non potest alteri competere, nisi ex speciali concessione Papæ, consequenter non potest ab inferiore præscribi, nisi cum titulo colorato, seu ex præsumptione concessionis factæ, quæ in hoc casu cessat. Si tamen adesset scientia & patientia Papæ, tunc præscriptionis locus esset, sed id videtur esse contra hypothesein, cum loquamur de re, quam Pontifex nunquam concedere solet.

k k k 2

Dico

4. Dico 2. Si tale quidpiam sit, quod Pontifex alteri quandoque impertiri solet, tunc sufficit possessio temporis immemoralis cum bona fide, nec opus est alio titulo, nec scientiâ & patientiâ Papæ. Sicuti docet *Felin. hic. & dixi. l. 3. tr. 1. de iust. c. 9. n. 3.* Nam eodem modo Regalia seu quæ Principis supremi propria sunt jure primæuo, si aliis ab ipso concedi solent, per tempus immemorabile præscribuntur. *c. super. 26. de verbor. signif.*

Videntur tamen hæc omnia nisi præsumptione concessionis factæ, quæ cum juris sit, & de jure, non admittitur contra eum probatio; sicuti hic *Felin. tradit. n. 7.* sin autem certum est, quod Regalia, seu quæ Principi in signum specialis prærogatiuæ concessa sunt, aliquis non obtinuerit per Principis concessionem seu expressam (videlicet privilegium) seu per tacitam, quia Princeps valdè remotus nullam scientiam habuit, non videtur præscriptioni locus esse, quia hoc ipso, quod Principis propria censeantur, non possunt ab inferiore sine Principis voluntate obtineri.

5. Not. II. Tempore schismatis, cum videlicet dubitatur, quis legitimus Pontifex sit, atque idcirco jura & possessiones Ecclesiæ malè defenduntur, non procedit præscriptio centenaria, sed interim suspensa est, ac veluti dormit, ita ut tempus durantis schismatis deducendum, siue in computatione annorum 100. computandum non sit. *Ita hic in text.*

CAPITVLVM XV.

Auditis.

PARAPHRASIS.

Lis erat inter Vigorensem Episcopum, & Abbatem de Heuescham super Ecclesiis in valle de Heuescham, quas Episcopus volebat pertinere ad legem & jurisdictionem suam diocesalem; Abbas autem dicebat exemptas esse; tametsi verò Pontifici de exemptionis concessio privilegio non satis constabat, tamen tantum temporis possessio plenæ jurisdictionis

ad Abbatem spectantis per testes probata erat, ut videretur Abbas jus Episcopale præscripsisse; quamobrem mandat Innoc. III. quibusdam Episcopis, ut privilegia, quæ super immunitate Abbas se habere asserit, inspiciant, & si apparuerit, Ecclesias illas à Cœlestino Papa exemptas fuisse, tum eas Abbati ut pleno jure subiectas adiudicent, & Episcopo silentium imperent; si verò Abbas in probatione defecerit, tum audiatur Episcopus super exceptione sua adversus præscriptionem; dicebat enim Sedem Episcopalem aliquandiu vacasse, ita, ut, si tempus vacationis subtrahatur, non restet tempus annorum 40. quam exceptionem seu potius replicationem, si probauerit Episcopus, jus Episcopale eidem in dictis Ecclesiis adjudicandum, & Abbati silentium perpetuum indicendum est; sin autem Episcopus defecerit in probatione, nihilominus quia ipse in quibusdam saltem jurisdictionis articulis, videlicet processionis agendæ in Pentecoste, receptionis, ac procurationis Archidiaconi sui; item solutionis quorundam denariorum, causarum Matrimonialium cognitionis, Capellani suspensionis, & interdicti Capellarum, probavit Episcopus se possessionem habuisse, idè super his jus Episcopale eidem adjudicari debet, dummodo præscriptio Abbatis ante finem 40. annorum interrupta fuerit, at verò in reliquis articulis, in quibus interruptio facta non ostenditur, Episcopo silentium imperetur.

SUMMARIUM.

1. Lex diocesana strictè accepta distinguitur à lege jurisdictionis, non item si latè accipiat.
2. Religiosi contra Ordinarium se defendere possunt privilegio exemptionis, & 40. annorum præscriptione, cum titulo colorato, sine eo per tempus immemorabile.
3. Abbas censetur habere quasi Episcopalem jurisdictionem, si Ecclesia intra diocesi pertinet ad Monasterium sit exempta, una cum eius Clero & populo.

4. In-

4. Interruptio præscriptionis quoad certos jurisdictionis articulos, non extenditur ad alios, in quibus possessio præscribentis continuata fuit.

5. Quomodo fiat interruptio præscriptionis circa jurisdictionalia.

1 Not. I. Jurisdictio Episcopalis comprehenditur etiam sub lege diocesana late accepto vocabulo isto, at verò si strictè accipiatur, distinguitur lex diocesana à lege jurisdictionis. vti constat ex *c. Dilectus. c. 8. de off. ord.* & videantur quæ dixi *c. Conquerent. 16. eodem tit.*

2 Not. II. Religiosi contra ordinariam, cuius jurisdictio & jus Episcopale in tota diœcesi fundatum est, duobus modis se defendere possunt, videlicet priuilegio exemptionis & 40. annorum præscriptione cum titulo colorato, sine titulo autem per tempus immemorabile, quòd si in probatione priuilegii (quæ facilius est, & ideo præmittenda secundum *Abbatem. n. 2.*) deficiant, tunc ad præscriptionis probationem accedere possunt, teste *Innoc. hic n. 2.* Et sumitur ex *c. Cum olim. 18. hoc tit.* & docui in *c. Cum Venerabilis. 6. de except.*

3 Not. III. Si Ecclesia aliqua intra diœcesin pertinens ad Monasterium ab Episcopi jurisdictione exempta sit, Abbas ceterum habere quasi Episcopalem jurisdictionem, sicuti explicauimus *Disp. de Elect. Pralat. q. 206.*

4 Not. IV. Sicuti exercens jurisdictionem incertis articulis, non præscribit nisi in iis articulis, si alius videlicet Ordinarius sit in possessione aliorum articulorum, quia non plus aliquis præscribit, quam possidet, neque extenditur præscriptio de casu ad casum. *c. Cum olim. 18. hoc tit.* vbi *Abbas. n. 6. & c. Cum contingat. 29. de decimis*, & exemplis declarat *Felin. n. 10.* & ita etiam interruptio præscriptionis quoad certos jurisdictionis articulos non extenditur ad alios articulos, in quibus possessio præscribentis continuata fuit.

5 Fit autem interruptio præscriptionis circa jurisdictionalia per litem contestationem; item per prohibitionem, aut pœnam subditis

inflictam, eò, quòd alteri tanquam Domino aut superiori paruerint, dummodò ipsam acceptauerint, uti *Alex. hic tradit. n. 28.* vel denique si alterum à jurisdictione exercenda per vim excludat, illèque acquiescat siue recedat, sicuti explicat *hic. Abbas. n. 13.* qui etiam monet non sequi, quòd inferior Prælati præscribere possit jurisdictionem tum priuatiuè, id est excludendo Episcopum, tum cumulariè, quandoquidem visitatio, excommunicatio & similes actus jurisdictionis à pluribus exerceri possunt, videlicet vt & Abbas vel Archidiaconus aliquis visitet ac puniat Ecclesiæ ministros & simul Episcopus, de iurque locus præuentioni.

CAPITVLVM XVI.

Cum ex officio.

PARAPHRASIS.

Cum Archi-Episcopus Senonensis visitando Prouinciam transiret per Parisiensem diœcesin, & ratione quarundam Ecclesiarum procuraciones peteret, Abbas S. Maglorii Prior de Castres, & alii, ad quos Ecclesiæ pertinebant, inhumaniter denegauerunt; eò, quòd non meminerint se procuracionem antecessoribus Archi-Episcopi soluisse, sed nec petitam fuisse, tunc Archi-Episcopus censuram in eos tanquam contumaces tulit. Hæc res ad Innoc. III. delata est, qui scribit ad Episcopum Parisiensem, quòd contra procuracionem quæ ratione visitationis debetur, præscribi non possit, sicuti nec contra visitationem; licet alius contra alium præscribere possit vtramque, quamobrem mandat, vt sententiam quam Archi-Episcopus ex antiqua Metropolis consuetudine tulit in Prælatos illos vsque ad dignam satisfactionem faciat seruari; quia secundum Apostolum, si quis spiritualia seminat, magnum videri non debet, quòd temporalia metat, cum nemo stipendiis suis militare cogatur, quòd si verò aliquid aliud Prælati contra intentionem Archi-

Episcopi oblicere velint ac probare, iustitia eis non negabitur.

S U M M A R I U M.

1. *Contra procuracionem ratione Visitationis, Episcopo vel Ordinario debita, nullo modo prescribi potest, ne quidem tempore immemoriali.*
2. *Ordinarius procuracionem debitam quotiescunque visitat, remittere potest, iustamen eius exigenda remittere, vel cum alia re permutare non potest, nec solet etiam jui hoc Papa remittere.*
3. *Ab aliis censibus, & prestationibus Ecclesiasticis, v. g. charitativo subsidio, Cathedralitico &c. per tempus immemorabile cum bona fide prescribi potest immunitas.*

Contra visitantem jure speciali, potest prescribi procuratio secundum communem praxin.

Potest etiam eadem prescribi contra talem, licet Episcopo loci sui subiectus.

1 **N**OT. Vnic. Contra procuracionem ratione visitationis Episcopo vel Ordinario debita nullo modo prescribi potest, ne quidem tempore immemoriali: Ratio est, quia jus Canon. resistit huic prescriptioni, tanquam irrationabili, & contra Ecclesiarum utilitatem tendenti, idque partim quia indecens est ut Ecclesie visitatori earum causam laboranti, & spiritualia ministranti, hospitalitatis, & sustentationis necessariae beneficium non largiantur, partim quia hac ratione Ordinarii locorum a visitandis Ecclesiis abduci possunt, cum earundem & totius Diocesis pernicie.

2 His adde 1. Licet Ordinarius procuracionem debitam, quotiescunque visitat, remittere possit, non tamen posse se, suosque successores obligare ad remittendum & vno verbo jus procuracionis exigenda remittere, vel cum alia re permutare. Ita Innoc. hic. n. 1. Abbas. n. 16. si enim jus Procuracionis per expressam remissionem aut alienationem amitti posset, multo id magis posset per prescriptionem saltem temporis immemoralis, aut 40. annorum cum titulo colorato

Adde 2. Quod nec Papa concedere soleat, ut Ecclesia visitanti Episcopo seu Ordinario procuraciones, id est, necessaria vitalia ministrare non teneatur ob rationes supra allatas.

Limitari debet notandum, cum Gloss. in Clem. 2. verb. compositionem. de censibus. licet compositio, qua tollitur procuratio, non valeat, tamen super modo procuracionis, & numero procurandorum compositionem valere, & consequenter prescribi etiam posse, saltem eo modo atque limitatione, ut neque officium visitatoris impediatur, nec lex charitatis, aut hospitalitatis laedatur, sicuti Felin. hic docet n. 15.

Ex his iudicium fieri potest de doctrina eiusdem Felin. in cap. Accedentes. n. 6. b. tit. & in hoc cap. n. 13. Si Ecclesia tempus immemorabile alleget & probet, in quo immunis fuerit a procuracionibus, ex tali tempore oriri presumptionem antecedentis tituli, seu accepti priuilegij, cuius ratione libera pronuntiari debeat; non propter prescriptionem, quippe quae a Jure Canon. in hoc casu negatur, & prohibetur, sed propter presumptionem; ita tamen, ut etiam post 200. & amplius annos cognita veritate contraria, priuilegium nullum datum esse, cessante presumptione debeatur procuratio; quare, ait Felinus, actor in hoc casu ineptus formaret libellum, si ad fundandam intentionem suam diceret se prescripsisse, sed dicere debet, se tempore immemoriali immunem fuisse, ex quo coniectura & presumpcio fiat de titulo seu concessio priuilegio immunitatis, praesertim concurrente fama publicâ.

Hæc doctrina in se optima est, & interueniens ad intelligendum, num jus decimarum, aut jus Patronatus, per temporis immemoralis decursum a laico comparari possit, sicut explicatur in c. Causam. hoc tit. Verum hæc doctrina malè huc accommodatur, tum quia satis significatur in hoc Cap. non obstante immemoriali tempore, quo nec petita, nec data fuerat procuratio, praestandam esse ab Ecclesiis subiectis; tum quia presumpcio priuilegij locum non habet, si priui-

Si diligenti.

PARAPHRASIS.

privilegium dari non potest, aut solet, vt in casu nostro, siquidem Episcopus non potest remissionem procurationis facere, Papa autem non solet, quod id indecens sit & noxium Ecclesiis, vt dixi.

Uterius adverte 1. Quod hic specialiter sermo sit de procuratione debita ob visitationem, non autem loquitur de aliis censibus, aut præstationibus. v. g. charitatiuo subsidio, Cathedralico, aliave annuâ pensione; in his enim per tempus immemoriale cum bona fide immunitatem præscribi posse, probabile est, vt resoluit *Abbas vol. 2. cons. fl. 26. Felin. hie. n. 14.* Quia cessant rationes, quas attulimus, cur contra procurationem præscribi non possit, accedit quod dictæ præstationes privilegio aut pacto, seu compositione remitti possint, consequenter etiam per præscriptionem temporis immemorialis, cum ea vim tituli habeat, si capacitas sit in vsucapiente.

Advertendum est 2. Quod loquimur de procurationibus, quæ debentur visitanti iure ordinario, non item de ijs, quæ debentur visitanti iure speciali, siue ex privilegio, nam contra hunc visitatorem vt procuratio ei nõ debeat, præscribi potest secundum communem praxim, de qua testatur hic *Felin. n. 13.* licet ipsi contrarium placeat; sed probatur praxis; cum enim ab initio. v. g. Archidiaconus cumulatiuè cum Episcopo Ecclesiis ex speciali concessione, privilegio, aut consuetudine visitare potuerit sine iure procurationis exigendæ, vt fatetur ipse *Felin.* Sequitur inde quod Ecclesiæ etiam postea huiusmodi immunitatem viâ præscriptionis acquirere possint.

Denique adverte. Quod locuti simus in casu, quo ipsæ Ecclesiæ immunitatem à procurationibus præscribere vellent aduersus ordinarium Visitatorem, seu eum, cui communi iure visitatio competit; at verò alijs quispiam. v. g. Archidiaconus, vel Abbas, cui iure speciali competere potest ius visitandi, consequenter etiam præscribere potest ius procurationis exigendæ à quibusdã Ecclesiis diocesis, vt constat ex text. *capituli* & ait *Felin. hie. n. 12.* id locũ habere etiam si visitator iste Episcopo loci subiectus sit.

Archiepiscopus Pisanus iuramentum fidelitatis accepit à Iudice Calaritano Marchione Massæ, quod Innoc. III. ait ipsi non licuisse, cum Iudicatus, seu Tribunal Calaritanum immediatè ad proprietatem Sedis Apostolicæ pertineat, sicuti & tota Sardinia, quamvis verò Archiepiscopus se defendere voluerit, quod secundum antiquam suorum antecessorum consuetudinem iuramentum pro sede Apostolica, seu Vice-sedis Apostolicæ recepisset, tamen Pontif. respondit, neque ipsum, neque Ecclesiam eius iure aliquo nixam esse, cum auctoritatem Sedis Apostolicæ non exhibeat, neque præscriptione muniatur; propterea quod confiteatur Archiepiscopus ipsum, vel Ecclesiam eius non fuisse in quasi possessione juris exigendi iuramenti, sed Ecclesiam Rom. quippe cuius nomine exactum & præstitum fuerit iuramentum ministerio Archiepiscopi, siquidem & is possidere dicitur, cuius nomine alius possidet, sin autem dicatur, quod Archiepiscopus & Antecessores eius suo nomine, & non Rom. Pontif. aut Rom. Ecclesiæ iuramentum exegerint, tum sequitur, quod Archiepiscopi ea re iuramentum suum de iure & honore sedis Apostolicæ conservando violarint, & idè in tali possessione exigendi iuramenti suo nomine, permanere non debeant, quandoquidem præscriptioni contra iura Ecclesiastica locus non est, si bona fides, ac iustus titulus desit.

Denique etsi ponamus præscriptioni esse locum, tamen non est credibile præscriptionem centenariam, quæ sola contra Ecclesiam Romanam currit, probari posse.

SUMMARIUM.

1. Rex aut Princeps habet fundatam intentionem

tionem super totâ terrâ, & omni eius parte, quoad jurisdictionem supremam territorialem sibi competentem.

2. Rerum incorporalium seu iurium est quasi possessio.
3. Alterius nomine rem possidens usucapere non potest.
4. Si jus possessori resistat, ad præscribendum tempore ordinario non sufficit bona fides, sed insuper requiritur titulus præsumptus.
5. Accipiens terram in feudum, non ideo jurisdictionem supremam ac territorialem habere censetur.
6. Ex juramento fidelitatis, quod iudices & subditi præstant alicuius loci, non alicui ibi degenti, sed superiori domino, colligitur, quod jurisdictio territorialis non ad illum, sed ad hunc pertineat.

Not. I. Dominus alicuius regni, aut territorij habet fundatam intentionem super tota terra & omni eius parte, quoad jurisdictionem supremam territorialem sibi competentem die *landsfürstliche hohe Obrigkeit*/ sicuti de Imperatore docet *Joan. Andreas in c. ult. n. 43. de offic. Archidiaconi*. Solum tamen Imperator aliis dare in feudum, ita, ut ipsemet duntaxat retineat quoad directam proprietatem & potius secundum habitum, quam exercitium.

2 Not. II. Rerum incorporalium seu iurium est quasi possessio, nam proprie dicta possessio spectatò nominis derivatione, rerum corporalium tantum est. *l. 1. ff. de acquirenda possessione*.

3 Not. III. Qui non suo, sed alterius nomine in possessione rei aut juris existit, usucapere non potest; quia non proprie possidet, sed ministerium exhibet ei, cuius nomine possidet. ut docui in *c. Cum venissent. 9. de restit. spoliator. & l. 3. tr. 1. de iust. c. 8. n. 5.*

4 Not. IV. Si jus possessori resistat, non sufficit bona fides ad præscribendum, sed requiritur etiam titulus præsumptus; quod intellige, ut præscribatur tempore ordinario videlicet anno 40. contra Ecclesiam, at vero possessio temporis immemoralis cum bona fide instar tituli est, si capacitas sit in possidente. *cap. 1. hoc. tit. in 6.*

Quamobrem tali casu opus non est allegare titulum, quamvis etiam non obstitit si allegetur; cum pluribus exceptionibus seu defensionibus, contra petitem defendere se liceat, ita ut, si probatio in vno deficiat, ex altero capite obtineri possit. ut docui in *c. Pastoralis. 4. de exceptionibus*.

Quæres. Qua in re jus resistebat Episcopo, quominus legitime exigeret suo nomine juramentum à Iudicibus Calaritanis; & ideo non censetur bona fide tale jus possidisse, nisi privilegium exhiberet. Resp. Quia locus ille, in quo tribunal erat, sine controversia pertinebat ad Ecclesiam Romanam: licet utilitas iure feudi pertineret ad Archiepiscopum Pisanum, sicuti hic *Innoc.* notat.

Hinc collige doctrinam, quod aliquis accipiens terram in feudum, non ideo jurisdictionem supremam ac territorialem die *hohe landsfürstliche Obrigkeit*/ quod est plenam jurisdictionem in subditos habere, censetur. Et ita ex communi docet *Andr. Kniechen, de Terris iur. n. 248.* ubi addit *n. 352.* quod nec in concessione Comitatus, vel Baronatus, seu Castri, nisi disertis verbis exprimat, omnimoda jurisdictio comprehendatur. Ratio est, quia jurisdictio illa omnimoda in subditos sublimis ac regia est, ideoque Principi propria, quemadmodum apud nos appellatur die *landsfürstliche Obrigkeit*/ quæ Ducatui, aut Marchionatui inest, adeo ut, si Imperator aliquem investiat de Ducatu ac Marchionatu, eo ipso jurisdictionem territorialem omnimodam concedere videatur, cum ea dignitas & eminentia loco annexa censetur; quamobrem Principes appellari solent, quibus talis jurisdictio data est, quia in suo territorio Imperatorem representant, ex cuius concessione acceperunt.

Præter hanc autem sublimem est alia jurisdictio inferior, in subditos, non proprie territorialis die *hohe landsfürstliche Obrigkeit*/ dici potest, sed districtus die *niedrige Obrigkeit*/ quæ juncta est cum exigua coercitione & executione multarum pro delictis leuibus.

Not. V. Si subditi, aut Iudices alicuius loci juramentum fidelitatis non præstant alicui ibi degenti & jura aliqua habenti, sed supe-

superiori Domino, signum manifestum est quod qui ibi degit, jurisdictionem territorialem, de qua locuti sumus, nequaquam habeat, quod ex hoc cap. colligitur.

CAPITVLVM XVIII.

Cùm olim, Frater.

PARAPHRASIS.

Episcopus Lucanus apud Sedem Apostolicam controversiam habuerat cum Abb. & Monachis Saluatoris de Ficheto super jurisdictione spirituali in plebem, & Sacerdotum in Capellis adiacentibus institutionem, aliâque Episcopalia jura. Episcopus Actor ad fundandam intentionem suam allegabat jus commune, cuius auctoritate uniuersa spiritualia intra Diocesim ad ipsum, tanquã Ordinarium spectare censebantur. Insuper Arbitrorum pronunciatam sententiam, siue laudum suæ intentioni assistere dicebat. Sed ad elidendam intentionem Episcopi, Abbas Gregorij VIII. priuilegium arbitrio illo longè antiquius exhibuit, per quod Monasterium vnã cum plebe & Capellis ab Episcopo exemptum & liberatum videbatur. Sed & aliorum Pontif. priuilegia ante illud arbitrium concessa idem protulit, quibus exemptio data videbatur; sed quidquid sit de priuilegiis istis, quandoquidem Abbas iam sufficienter ostendit, quod Monasterium suum super institutionibus, ac destitutionibus Plebani, Clericorum, insuper Baptismo ac pœnitentia in culpis leuioribus, sepultura, decimarum perceptione ac diuinis officiis celebrandis tam in plebe, quã in Capellis, excommunicationis, & interdictionis sententias ferendo, & absoluendo præscriptione munitum sit. Ideò Innoc. III. Abbatem ab impetitione Episcopi absoluit, super iam dictis articulis, silentio perpetuo imposito ipsi Episcopo, at verò circa alios omnes articulos ad jus Episcopale pertinentes circa plebem & Capellas secundum tenorem arbitrij pro Episcopo lati Abbatem condemnat.

S V M M A R I V M.

1. Episcopus habet intentionem fundatam super iure parochia, capellis seu filialibus annexis, & aliis iuribus spiritualibus intra suam diocesim.
2. Jura Episcopalia à Prælato inferiore per præscriptionem acquiri possunt, etiã quoad institutionem curatorum, aliorumque ministrorum.
3. Ex eo quod possit Sacerdos diocesanos à peccatis absolueri, non sequitur, quod etiam possit à reseruat. Episcopo.
4. Ad possessionem & præscriptionem juris aut jurisdictionis vniuersalis sufficit exercere actum in vno aliquo genere cum intentione habendi possessionem omnium coniuutorum.
5. Limitatur: Nisi alius sit in possessione iurium.
6. Prælati compromittere & transigere potest super parochiis, aut capellis de quarum exemptione controuersia est.

Not. I. Episcopus super iure Parochiæ seu spirituali cura plebis & Capellis seu filialibus annexis, aliisque iuribus spiritualibus intra diocesim suam habet intentionem fundatam. cap. Cùm Venerabili. 7. de religiosis domibus. Quemadmodum talia jura quorũ plura hic enumerantur, Episcopalia dicuntur & diocesalia, quia spectato communi iure, ad Episcopum loci, seu diocesani iure, ad Episcopum loci, seu diocesani pertinent, alij autem intra diocesim degentes Prælati licet ordinariam jurisdictionem habeant, & quanquam speciali iure priuilegij, aut præscriptionis exempti sint, siue quoad suas personas & Clericos, aut Religiosos Ecclesiæ suæ, siue etiam quoad curam plebis sibi subiectæ, ita vt nomen Ordinarij loci ipsis competat. iuxta c. 3. iuncta Gl. verb. locorum. de offic. ordin. in 6, tamen Diocesani appellari non solent, sicut constat ex Clement. I. iuncta. Gl. verb. Diocesani. de iure Patronat. & ostendit hic Alex. n. 3.

Not. II. Jura Episcopalia à Prælato inferiore per præscriptionem acquiri possunt etiam quoad institutionem Curatorum aliorumque ministrorum. Ita sumitur ex hoc c.

Veniens.

PARAPHRASIS.

Controversia fuit inter Abbatem S. Martini de Pannonia & Vesprimensem Episcopum super decimis & aliis quibusdam juribus spiritualibus Simagiensis Parochiæ & Comitatus; Abbas postulabat, ut Episcopus nec per se, nec per alium impediatur, quo minus decimas ex illis locis percipiat, secundum privilegium Pape Paschalis & S. Stephani Regis. Episcopus vero decimas illas quippe intra diocesis suæ terminos constitutas, ab Abbate, qui eas detinebat, restitui petebat, nisi iure speciali eas sibi competere demonstraret (quæ fuit legitima petitio iuxta *c. 2. de rest. spoliar. in 6. & c. 1. h. tit. in 6.* Quod vero ad alia jura Episcopalia attinebat, producta fuerunt privilegia à Paschali & Alexand. Pontificibus Monasterio concessa, in quibus continebatur, quod Clerici dictarum Ecclesiarum & Capellarum ad Monasterium pertinentium, Chrisma, Oleum sacrum, consecrationes Altarium & Basilicarum, ordinationes item Clericorum, qui ad sacros Ordines promovendi essent, à Diocesano videlicet Episcopo Vesprimensi peterent, si is Catholicus esset, & in communionem cum Ecclesia Romana permaneret, atque ea, quæ dicta sunt, gratis, & sine ulla prauitate exhibere veller, alioquin à quolibet alio Præsule seu Episcopo Catholico recipere possent.

Sed aduersus hæc privilegia Abbas allegauit aliud postea à Clemente Papa concessum privilegium, in quo amplius quid Monasterio tributum erat. Sed Innoc. III. hinc responderet, privilegium istud non rectè allegari, cum id prioribus privilegiis non deroget, quippe nullam de iis mentionem faciens, præsertim cum in privilegio Clementis inserta sint verba: *Saluis institutionibus Romana Ecclesia, eiusque legatorum.* Neque etiam obstat præ-

& tradit Abbas in *cap. Auditis. n. 7. ibid. Felin. n. 2. hoc tit.* Idem Abb. super hoc *cap. n. 4.* ubi ait, extendendum etiam esse id ad non exemptos, quod & ipsi Clericorum institutione ac destitutionem præscribere possint.

3. Not. III. Si alicui Sacerdoti per privilegium, aut præscriptionem competat, ut possit Diocesanos à peccatis absolvere, non idè consequens est, quod possit etiam absolvere à culpis illis grauioribus, quas Episcopus sibi reseruat, ut colligitur ex *cap. 2. de penit. in 6.*

4. Not. IV. Licet ad acquirendam possessionem ac præscriptionem juris aut Iurisdictionis universalis sufficiat exercere actum in vno aliquo genere cum intentione capiendi ac habendi possessionem omnium cōjunctorum, argumento. *l. 3. §. 1. ff. de acquirenda possessione.* & indicat Innoc. in *c. 1. de Relig. domib. Abb. hic n. 6.* Excipi tamen debet nisi alius sit in possessione iurium, tunc enim locum habet Regula, quod non plus aliquis præscribit, nisi quatenus possidet, uti hinc apparet, & in *cap. Auditis. 13. hoc tit.* ubi videri potest *Felin. n. 10.*

5. Not. V. Licet Prælatus exemptus promittere, aut transigere non possit super iure exemptionis suæ, aut Ecclesiæ suæ exemptæ, valet tamen compromissum, aut transactio super Parochiis aut Capellis, de quibus controversia est, num Episcopo subiectæ sint, an vero ab eius iurisdictione liberatæ, Prælato exempto pleno iure subijciantur, uti etiam colligitur ex *cap. Cum tempore. 5.* ubi docui *not. 1. de arbitris;* nam in tali casu per se ac principaliter non agitur de iure Ecclesiæ Romanæ, sed de iure ipsius. v. g. Monasterij, aut Collegiæ Ecclesiæ. Quamobrem si contra tale jus 40. annis ab Episcopo præscriptum non sit, non poterit Ecclesiæ exempta se defendere allegatione Rom. Ecclesiæ, cui minor, quàm centum annorum præscriptio obesse non possit; quamvis si agatur de præscriptione contra exemptionem ipsius Monasterij immediatè subiecti Apostolicæ Sedi, tali modo post 40. annorum cursum defendere se possit, uti hinc notat *Felin. n. 3.* & docui in *c. Ad audientiam. hoc tit.*

scriptio, per quam Abbas plus de dictis Episcopalibus juribus sibi arrogare volebat; vel enim consummata tunc erat, cum Monasterium aliud priuilegium à Clemente impetrauit; hoc casu Abbas juri per præscriptionem acquisito cum Monasterio renuntiâsse censetur. Accedit Abbatem coram Innoc. III. vsum fuisse priuilegio Paschalis, quod tamen intentioni eius quoad istum articulum contradicit. Vel præscriptio consummata non fuit, sed in processu erat, tunc sequitur, quod post impetratum priuilegium Abbas & Monasterium bonam fidem non habuerit, & idèò secundùm Canones præscribere non potuerit.

SUMMARIUM.

1. *Conuentus interdicto possessorio retinenda, potest super eadem re conuenire possessorem interdicto vnde vi.*
2. *Ab Episcopo proprio, si sit hæreticus, Schismaticus denunciatus &c. Ordines accipientes suspensionem incurrunt.*
3. *Neque tamen in tali casu de communi jure ad alium Episcopum ordinationis causa accedere possunt.*
4. *Qui priuilegium impetrauit cum moderatione, de eo mentionem facere debet, si aliud impetrare velit sine ea moderatione.*
5. *Impetrans priuilegium contrarium præscriptioni consummata, censetur recedere ab ea, eique renuntiare.*
6. *Et hac renuntiatio facta iudicatur, licet priuilegio illo contrario priuilegiatus vsu non fuerit.*

1 Not. I. Conuentus interdicto possessorio retinenda vt desinat molestus esse possessori, potest super eadem re conuenire possessorem interdicto vnde vi, aut clam, vel precario, vel per rei vindicationem petendo, vt res per vim, aut elanculum occupata, aut precario aliquandiu detenta, vel domini jure ad se pertinens sibi restitatur. Ita *Innoc. hic. n. 1. Abbas. n. 3. Felin. n. 6.*

2 Not. II. Si proprius Episcopus sit hæreticus, schismaticus, excommunicatus, aut

Simoniacus, ordines ab eo accipi non debent, imò suspensionem incurrunt, qui à tali se ordinari sinunt, quod tamen intelligi debet, si Episcopus denunciatus sit. Sicut docuit *l. s. tr. 9. c. 10. suspens. 2.* Veruntamen in tali casu, quo à proprio Episcopo ordinatio accipi non potest, non est licitum, spectato communi jure, ad alium Episcopum accedere ordinationis causâ. Ita docet *Abbas. hic. n. 10. & sumitur ex hoc. c.* quoniam speciali priuilegio concessum est Monachis, vt in tali casu ab alieno Episcopo ordines suscipiant. Item ex *c. 2. de temporibus ordinationum. in 6.* Vbi Pontifex in speciali casu facultatem concedit, vt subditi ab alieno Episcopo ordines accipere possint, veluti in pœnam Episcopi proprii, qui ordinando sibi non subditos suspensionem annuam ab ordinibus conferendis contraxit.

Not. III. Si quis antea impetrauit priuilegium cum moderatione per quam alteri jus suum confirmatum erat, postea impetrando aliud priuilegium sine tali moderatione, debet facere mentionem de priuilegio priùs impetrato; ita sumitur ex *text. & & tradit hic Innoc. n. 4.* aliud exemplum afferens: Si Monasterium à Sede Apostolica per priuilegium impetrauerat partem decimarum, reliquas decimas relinquens juri Parochiali seu Diocesali, postea verò omnes, aut maiorem partem decimarum, quam antea, de nouo impetrare velit, necesse est vt Prioris Pontificii priuilegii seu ordinationis faciat mentionem. Ratio dari debet, quia Pontifex si recordatus fuisset, aliam se antea modificatam dispositionem fecisse, per quam jus alterius veluti confirmatum fuisset, eam non faciliè immutâset.

4 Not. IV. Impetrans priuilegium contrarium præscriptioni consummata censetur recedere ab ea, eique renuntiare. Ita sumitur ex *text.* cum dicitur Abbatem non posse se defendere præscriptione temporis (videlicet longissimi, aut immemorialis sine titulo) in quo Chrisma, oleum, & ordinationes à quocunque Catholico Episcopo acceperit, cum enim post completam hanc præscriptionem Abbas seu Monasterium impetrarit

trāit priuilegium contrarium, idēd præscriptioni renuntiāssa censetur. Ita *Innoc. n. 1.*
& *alii communiter.*

Aduerte autem, quōd 1. dicitur, si præscriptio completa sit, sin autem non completa, fieri potest, vt occurrente dubio (quod tamen malam fidem non inducit) si post inchoatam cum bona fide possessionem superueniat, & veritas deprehendi non possit; vti docui *l. 1. tr. 1. c. 5. n. 21.* priuilegium quamuis in alia & aliquo modo contraria forma impetretur ad cautelam, ita, vt subditiōe inseruire possit, si videlicet præscriptio de iure non subsistat, vti notauit *Alex. de Nauo hic. n. 37.*

2. Aduerte, quōd dicitur: si priuilegium sit contrarium antecedenti vsucapioni, vt in casu huius Capituli, alioquin si contrarium non sit, non obstat, quo minū priuilegium absolutē & sub eadem forma impetretur, sicuti ex vi præscriptionis competit. Vti hūc docet *Innoc. loco cit. Abbas. n. 18.* Ratio reddi debet, quia hoc non infrequens est, quōd aliquis per priuilegium impetret, quōd communi iure ipsi competit, videlicet ad corroborationem eius, ac maiorem securitatem, omnēque dubitationem tollendam, si fortē in iudicio contra petitorē exceptio seu defensio ex vno capite probari non possit, vt ex altero probatio procedat, cūm facilior & expeditior sit probatio per priuilegium, quā vsucapionem.

Quæres. Vtūm necesse sit priuilegio impetrato aliquo vsu fuisse ad hoc, vt præscedenti contrariæ præscriptioni consummatæ renuntiare censeatur.

Responsio est negatiua cum *gl. hō. verb. intentioni.* Quia hoc ipso, quōd priuilegiatus impetrat priuilegium contrarium, censetur renuntiare præscriptioni; cūm verō additur in text. nostro vocula *præsertim* siue *maximē* si vsus etiam priuilegii accedat, id ostendit etiam secluso vsu, tacitam renunciationem præsumentam esse.

* * *

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Innocent. III. in Concilio Lateranensi definiuit, quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, idēd nulla sine bona fide valere debeat præscriptio Canonica, aut ciuili, cūm vniuersim loquendo omni constitutioni, aut consuetudini derogandum sit, quæ absque mortali peccato obseruari non potest, quemadmodum necesse est, vt qui præscribere vult, in nulla temporis parte conscientiam habeat rei alienæ.

S V M M A R I V M.

1. *Habens intra tempus præscriptionis conscientiam rei alienæ, quam restituere, aut cui satisfacere debeat, is præscribere non potest.*
2. *Debitor ex personali debito, v. g. mutui cuius est conscius sibi, quōd debeat, si illud non soluat, creditore non petente, præscribere debitum illud non potest etiam tempore longissimo 30. annorum, licet Hostiensis & Abbas contrarium doceant, contra communem Theologorum, & Canonistarum.*
3. *Valet tamen statutum, vt Creditori jus non dicatur, si decennii spatio debitum personale non exegerit.*
4. *Bonā fide litigans & condemnatus ad soluendum contra executionem sententia potest scribere, altero solutionem non petente.*
5. *Pralatus sciens notoriē rem alienam à Monasterio detineri, tenetur eam restituere.*
6. *Si notorium non sit, nec à Pralato demonstrari possit, retinere potest.*
7. *Capitulum aut Conuentus cum bona fide non potest præscribere, Pralato habente scientiam rei alienæ, si ea communiter ab utroque possideatur, requiritur vtriusque bona fides.*
8. *Si Pralatus confiteatur rem alienam esse, non nocet Ecclesia, nisi ab Ecclesia vel Capitulo mandatum habeat, vel ad sit juris præsumptio, quōd res aliena sit, vel ea spectet ad solum Pralatum.*

9. *Re-*

9. Resoluitur quæstio, an mala fides antecessoris, noceat successori, ita ut præscribere non possit, etsi bonam fidem habeat.
10. Non nocet successori particulari v. g. emptori, donatario &c. nisi res vitio reali affecta sit.
11. Nocet tamen successori vniuersali, si causam habeat ab antecessore ita, ut nunquam præscribere possit.
12. Ampliatur doctrina etiam ad successores populorum, cuiusque Magistratum.
13. Successori in beneficio, vel dignitate noceat mala fides antecessoris.

NOTAND. Vnic. Quicumque intra tempus iure definitum ad complendam præscriptionem conscientiam habet rei (aut juris) alienæ, quam ipse restituere, aut cuipiã satisfacere debeat, si præscribere non potest. Ratio est, quia si quis sciat rem, aut jus ad alterum spectare, & nihilominus detineat, contra conscientiam agit, & consequenter peccat, quia quod non est ex fide, peccatum est, quia contra conscientiam fit: atqui lex præscriptionis siue Canonica sit, siue ciuilibis, non debet esse nutritiua peccati, alioquin cum iusta & rationabilis non sit, non est vera lex, neque obligat. Vide quæ dixi l. 3. tr. 1. de iust. c. 8. n. 10.

Aduerte autem ad verba quæ adiunxi: *quam ipse restituere &c.* si enim aliter jus habeat, quidpiam agendi aut petendi, tu autem debeas ei tradere aut reddere, nisi ille petat, hoc casu non es in mala fide, si eo non petente, aut agente taceas, seu dissimules, consequenter per temporis legitimi decursum præscribere potes; vt si vicino tuo jus competat seruitutis rusticæ, videlicet, quod per agrum tuum ire, aut currum agere liceat, atque per 10. annos cessauerit, amittit jus suum viâ præscriptionis: tamen si tu probè sciueris jus ipsi competere, tamen in mala fide aut peccato positus non fuisti, cum tu nihil agere debueris, sed tantum pati, si vicinus ageret, sicut explicari pluribus positus exemplis cit. c. 8. n. 12.

Quæritur I. Quid sentiendum sit de eo, qui scit se debitorem esse ex personali, v. g.

debito accepti mutui, & non soluit, quia creditor petere intermittit, num præscribere possit saltem tempore longissimo 30. annorum, quo omnis actio exclusa videtur. Ita affirmat *Hostiens. in sum. h. tit. n. 4. Abbas. n. 18.* nam talis, qui debitum personale. v. g. ex mutuo non soluit, quia non exigitur, malæ fidei possessor non est, cum non possideat alienum; quamobrem inferunt, validum esse statutum municipale, vt si creditor intra annos decem debitum personale non repetat, postea iure suo cadat, nec repetere amplius possit, idque ad excitandam diligentiam & vigilantiam creditorum.

Sed contrarium ex communi Theologorum & Canonistarum sententia docet *Imol. hic. n. 24. Alex. n. 24. Felin. n. 3.* quia falsum est, quod debitor ex mutuo. v. g. Creditore non petente, soluere obligatus non est, nisi præsumere possit, quod creditor sciens sibi deberi, idèd non petat, quia remittere, seu condonare velit, sed hæc est tacita renunciatio juris, non præscriptio, quippe quæ etiam contra ignorantem procedit. & cum hac doctrina consentit *l. Magna. 12. Cod. de contrahenda emptione*, vbi dicitur, si tempus solutionis faciendæ advenit, quod dies pro homine interpellat.

Interim fateri possumus, quod ad excitandam Creditorum diligentiam, & vitandam litium intricacionem valeat statutum, vt Creditori jus non dicatur, si decennij spatio debitum personale non exegerit, sed non idèd perficietur præscriptio, per quam jus naturale debiti aboleatur, aut Canonica denuntiatio ad amovendum iniustitiæ peccatum impediatur, sicuti etiam fatetur *Abbas num. 23.*

Ad rationem in oppositum respondeo. Nomen possessionis latè accipiendum esse, dicitur: Quod malæ fidei possessor nullo vnquam tempore præscribit, *Regula 2. in 6.* vt comprehendat etiam debitorem ex debito personali, qui, postquam tempus soluendi advenit, si soluere intermittat, sibi jus immunitatis à debito arrogat, & quodammodo possidet, sed malâ fide, si conscientiam suæ obligationis habeat.

4 Cæterum, si quispiam bonâ fide litigârit coram Iudice, atq; per sententiam damnatus sit ad solvendum, poterit altero non petente executionem per 30. annos præscribere, contra executionem sententiæ, ita ut solvere non cogatur, si arbitretur naturaliter se obligatum non esse, sicuti indicavit *Innoc. in cap. vlt. in fine de exceptionibus.* & tradit *Abbas hic n. 30. Alex. n. 29.* nam pro sententia Iudicis est quidem præsumptio juris, ac de jure, quod justa sit, & idè executioni mandanda, si eius iniustitia notoria non sit, tamen hæc præsumptio cessat post 30. annorum decursum, cum veluti expirârit virtus sententiæ,

Quæritur 2. Si Prælatus sciat rem alienam à Monasterio possideri, vtrum debeat eam restituere?

5 Respondeo & dico 1. Si notorium sit alienam esse, tenetur eam restituere, cum hoc boni administratoris officium sit, ut aliena non seruet, neque iniuriam alicui inferri sinat. *argumento cap. Generaliter. 15. in fine dist. 54.* nihil perire credimus Ecclesiasticis vilitatibus, si, quæ sunt aliena, restituantur.

6 Dico 2. Si notorium non sit, nec à Prælato demonstrari possit, tunc retinere potest, *argumento c. 2. c. 6. q. 2.* quia restituendo nihil proficeret, sed damnum ipsemet incurreret, cum non possit, nisi iusta causa probata rem alienare; si tamen existimaret, quod Dominus rei jus suum probaturus sit, debet eum monere, ut illud prosequatur, secundum *Gloss. in cit. c. Generaliter. verb. reddantur. & gl. final. huius cap.*

7 Sed nunquid Capitulum aut Conventus cum bona fide præscribere poterit Prælato habente scientiam rei alienæ, si ea communiter à Prælato & Capitulo possideatur, affirmat *Alex. hic n. 42.* & idem sentire videtur *Imol. n. 36.* sed arbitror contrarium dicendum, si res communiter possideatur, quod & Prælati & maioris partis Conventus bona fides requiratur, quia Prælatus talem rem præscribere non potest sine Capitulo seu Conventu, cum itaque Capitulum incapax sit præscribendi propter malam fidem seu scientiam rei alienæ, sequitur quod

præscriptio non procedat. Accedit quod lex præscriptionis, cum sit derogatoria juris alieni præter jus naturale introducta, odiosa potius, quam favorabilis censei debeat, & idè non extendenda, ita ut bona fides vni⁹ partis adiuvet malam alterius, sed potius ve mala fides vnius partis destruat bonam fidem alterius, ex indiviso possidentis.

Dico 3. Si Prælatus confiteatur rem alienam esse, non nocet Ecclesiæ, nisi ab Ecclesiæ, vel Capitulo mandatum habeat. *c. 2. de testibus in 6. & tradit Gl. fin. hic gl. in c. 3. verb. nescio. Dist. 22.* Vel nisi Iuris præsumptio adsit, quod res aliena sit; argumento 6. *Si diligenti. 17. hoc tit. & docet ibi Abb. n. 4. Felin. hic n. 11.* Vel nisi res, de qua agitur ad solum Prælatum spectet, & non simul ad Conventum, tunc obesse sibi potest saltem quoad vitam suam *argumento c. Cum venisset. juncta gl. in not. de instis. & tradit Felin. hic cit. n. 11.*

Quæritur 3. Vtrum mala fides antecessoris nocet successoris, ita, ut præscribere non possit, tametsi bonam fidem habeat.

Resp. & Dico 1. Mala fides antecessoris non nocet successoris particulari v. g. emptori, donatori &c. Ratio est; quia possessio translata censeiur in aliam personam, & idè à priore infici non debet.

Limitand. est. Si res vitio reali affecta censeatur, quia furtivè, aut violenter occupata fuit, tum vsucapi non potest. *§. furtivè, & §. novissimè. Institut. de vsucapionibus. & l. Titia. 11. Cod. de acquirenda possessione.* Ex quo sequitur, si quis sciens rem alienam esse, alteri vendat, aut donet, à donatario, vel emptore vsucapi eam non posse, propterea quod qui ita vendit, aut ex alia causa tradit, furtum committere censeatur. *cit. §. furtivè.*

Intelligi autem hoc debet, quod præscribi non possit res furtiva tempore longo 10. annorum, at tamen longissimo præscriptibilis est à bonæ fidei particulari possessore *authent. mala fidei Cod. de præscript. longi temporis & l. 3. & 4. C. de præscript. 30. vel 40. annorum.*

Dico 2. Mala fides antecessoris nocet successoris vniuersali, si causam habeat ab
ante-

anteceffore, ita, vt talis fuccellor præfcribere nunquam poffit; ita habetur in *l. Cum vitium. 11. ff. de diuerfis. & temporalibus præfcriptionibus* & in *l. Malâ fide. C. Communia. de vfucapionibus*. Vbi rubrica Baldi: *vitium defuncti nocet fuccellori vniuerfali, etiam bonam fidem habent: & in §. diutina. juncta. gl. verb. Quod noftra. Inftit. de vfucapionibus*. Et docet ex communi Bartolus in *l. Pomponius. ff. de acquirenda poffeffione. Abbas in c. Si diligenti. n. 29. de præfcript. Gabriel. lib. 5. conclud. vbi de præfcript. con. luf. 6. Couar. Reg. peccatum. part. 2. §. 9. n. 5. & 6. Ratio eft, quæ traditur in *gl. cit. §. diutina*. Quia fuccellor vniuerfalis (in omnibus iuribus ac oneribus fuccedens) eadem perfona cum anteceffore reputatur.*

¶ 2. Ampliari debet. Quod hæc doctrina locum non tantum habeat in hære de refpectu defuncti, fed etiam in fuccellore populo, eiusque Magiftratu, cum fuccedant iuribus ac oneribus antecefforum fuorum, atque poffeffio omnino eadem maneat, fi mutatio nulla fiat, id eft, non poffeffio, quæ initio vitiofa erat apud populum, nunquam ad alterum per alienationem aliquam translata fit, tunc enim locus eft *Regula 29. in 6.* Quod ab initio vitiofum eft, non potefit tractu temporis conualefcere. Et ita docent *DD. in cit. l. Vitium. & in l. Cum hæres. 11. ff. de diuerfis actionibus*, fi poffeffio ab initio vitiofa fuit, vfucapionem nunquam fieri poffe, nifi mutatio aliqua feu inuerfio poffeffionis interueniat.

¶ 3. Quæres igitur, fi Monafterium ante 200, vel 300. annos fine folennitate debita. v. g. nõ adhibito confenfu Epifcopi, ciuitati vendidit prædium, num illud jam reuocari poffit à fuccelloribus. videlicet Magiftratu & populo, fi vt ponimus, emptores iuris errore, non facti, laborârunt, aut fortè fcierunt, Epifcopi confenfum non interueniffe.

Refpondeo, id omnino effe confequens, fi hæc ita oftendi poffint, veruntamen propter temporis diuturnitatem in dubio præfumendum erit, Epifcopum poftea emptiorem approbâffe, aut ratificâffe, quandoquidem in dubio præfumitur actum legitime

cognitum effe, & ita vt valeat, potiùs etiam præfumetur ciuitatem facti errore laborâffe, quàm iuris.

Ad extremum duo adverte. 1. Quod in assertione dixi: Si causâ habeat ab anteceffore, vt hinc excludatur fuccellor in beneficio, vel dignitate, cui non nocet mala fides antecefforis, cum ab eo titulum & causam non habeat, fed à collatore; ficuti hîc tradit *Imola n. 10. Couarr. cit. §. 9. n. 6. verf. 7. Felin. in cap. de quarta. n. 23. h. iii. Molin. to. 2. tr. 2. de iust. D. 65.*

Alterum: licet fuccellor vniuerfalis vfucapionem perficere potuerit etiam cum mala fide, fi anteceffor eius bonâ fide rem poffedit, fpectato iure Iuftiniano. §. *diutina. cit.* Id tamen iure Canon. correctum eft, quare hodie nullo habito discrimine inter fuccellorem vniuerfalem & particularem, neuter eorum ceptam ab anteceffore vfucapionem continuando perficere potefit, nifi & ipfe bona fide poffideat.

CAPITVLVM I.

EODEM TITVLO IN VI.

Epifcopum.

PARAPHRASIS.

Epifcopus. v. g. Auguftanus repetebat Ecclefias, vel decimas ab Epifcopo Conftantiensî, eò, quod in diœcefi Auguftana fitæ effent, fed Conftantiensî Epifcopus obiecit, fe eas præfcripiffie tempore legitimo, videlicet annorum 40. Hoc autem non fufficere refpondet Bonifac. VIII. fed opus etiam effe, vt Epifcopus præfcriptionis titulum alleget ac probet, propterea quod jus commune fit contra poffefforem Epifcopum, in tali autem cafu, fi vel jus commune fit contra poffefforem, vel alia aduersus eum præfumptio exiftat, tunc ad præfcribendum non fufficit bonæ fidei poffeffio, nifi etiam titulus adfit, qui causam tribuat poffeffori præfcribendi, vel nifi tanti temporis poffeffio probeatur, cuius initij memoria nulla exiftat.

S V M.

SUMMARIUM.

1. Possessori ad præscribendum non sufficit bona fides cum tempore ordinario sed requiritur etiam titulus, vel tempus immemoriale.
2. Si jus commune resistat possessori, non tamen assistat petitori, præter tempus legitimum & bonam fidem, non requiritur titulus.
3. Quomodo probari soleat possessio immemorialis.

NOtand. Vnic. Si jus commune sit contra possessorem, non sufficit bona fides cum tempore ordinario ad præscribendum, sed etiam requiritur titulus vel tempus immemoriale, cum sit instar tituli, aduerte ad verba singula.

1. Dixi: Si jus commune sit contra possessorem, non ita quidem, ut jus commune possessionis vel præscriptionis potentia resistat, tunc enim nec cum titulo præscribi vlllo tempore potest, sicuti docui in *c. Causam. b. tit. & notat. ibi. Alexand. n. 52.* Sed ita quòd considerato communi jure, res, quæ possidetur, ad possessorem pertinere non debeat, quamuis possit jure speciali. Sicuti *gl. magna hinc explicat.*

2. Dixi: quòd non sufficiat bona fides, quorum verborum hæc debet esse explicatio, licet is, qui longo rem tempore possedit, tanquam suam, bonæ fidei possessor censeatur, ideòque sufficiat ei ad præscribendum vnâ cum possessione legitimo tempore continuatâ, bonam fidem allegare, tamen excipiendum est, nisi jus commune repugnet possessori, tunc enim non censetur rem bonâ fide asecutus, aut possidere in ordine ad præscribendum, propterea quòd Juris communis ignorantia in vsucapionibus non proficit, ideòque ad præscribendum non conducatur, *l. Nunquam. 31. ff. de vsucapionibus. & Reg. 82. in 6.* Qui contra jura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere, quare idem simili ratione dicendum est, si alia, eâque grauis seu vehemens juris præsumptio sit contra possidentem, tunc enim cessante præsumptione bonæ fidei, non procedit præscriptio.

3. Dixi. Nisi & titulus adsit, videlicet coloratus seu præsumptus, nam talis proba-

bilis titulus dat justam causam præscribendi, quia malæ fidei præsumptionem, quæ ex jure communi resistente oritur, titulus tollit, bonamque fidem inducit.

Denique dixi: *Vel nisi tempus immemoriale &c.* Nam talis immemorialis possessio, si capacitas sit in præscribente, tribuit præsumptionem tituli, seu instar tituli esse censetur in ordine ad præscribendum.

Quæ. 1. Si jus commune faciat contra possessorem, seu modo supra explicato resistat possessori, non tamen assistat petitori, seu non fundet intentionem petitoris, num tempus legitimum cum bona fide sufficiat ad præscriptionem, an verò titulus requiratur? Quòd titulus hoc casu requiratur, existimat Abbas in *c. Si diligenti. 35. extra, hoc tit. Francus. hic. n. 7.* Sed contrarium placet, quod tradit *gl. hic. verb. titulum gloss. in c. 2. verb. eundem. de restitutione spoliatorum. & bene explicat Alexand. in cit. c. Si diligenti. n. 53.* si enim jus commune petitori non assistat, tunc nec possessori resistet in ordine ad hunc petitorum, consequenter præsumptio bonæ fidei erit pro possessore, si eum comparemus cum hoc petitore; siquidem in pari causa melior videri debet conditio possidentis. Exemplum: Si Abbas vnus contra alterum Abbatem agat iudicio petitorio decimarum: Abbas autem possessor obiciat præscriptionem ortam ex 40. annorum possessione cum bona fide, non arbitrator tituli allegatione, aut probatione opus esse.

Quæ. 2. Quomodo probari soleat possessio immemorialis? Resp. bene *gl. finalis hic*, per testes deponentes, quòd semper viderunt & audierunt ita esse, nec vnquam viderunt, vel audierunt contrarium, & quòd communis est & fuit semper opinio, quòd sic fuerit; sin autem aduersarius contrarium ostendere velit, producere debet testes, qui dicant, quòd viderunt tali tempore contrarium, vel audierunt à Maioribus suis contrarium tali tempore fuisse.

Quòd si in tali casu vtraque pars probauerit, tunc præferendi sunt testes, qui aptiora, seu magis verisimilia deponunt: & videtur quòd

quod plerumque præferri debeant ii, qui de contrario probant, quandoquidem deponunt super affirmatiua, alii autem in sua depositione inuoluunt negatiuam, quæ minus probari potest *c. accusator. 6. q. 5.*

CAPITVLVM II.

Si qui.

PARAPHRASIS.

Si quis propter delictum siue ipso iure, siue per sententiam priuatus sit bonis, quæ ad Ecclesiam deuoluuntur, à qua bona accepit, videlicet in feudum, aut emphyteusim, non perficitur præscriptio nisi 100. annis, si sit Ecclesia Rom aut 40. annis, si sit alia, licet leges ciuiles aliter statuisse videantur.

SUMMARIUM.

1. Præscriptio contra Ecclesiam quoad bona eius feudalitæ, aut emphyteuticæ, si caduca fiunt, tempore longissimo ordinario perficitur.
2. Et hæc duobus modis fieri potest. 1. Si quis crimen committat, ob quod bona eius sint applicanda fisco saculari.
3. Secundo si crimen committat Ecclesia vasallus, ob quod feudo priuandus sit, illudque ad Ecclesiam redire debeat.

NOT. Vnic. Præscriptio contra Ecclesiam quoad bona eius feudalitæ, aut emphyteuticæ, si ob bonorum confiscationem factam propter delictum caduca fiunt, tempore longissimo ordinario perficitur: potest autem id contingere duobus modis, ita ut locus sit dispositioni huius Capituli.

1. Si quis crimen committat, ob quod bona eius applicanda sint fisco saculari; nam hoc casu bona feudalitæ, quæ sunt ex pacto & prouidentia, ita ut ad extraneos hæredes transire non possint, non confiscantur, sed redire debent ad Dominum feudi. ita *Bart. in l. Si finita. §. Si de veltigalibus. n. 3. ff. de damno infecto. Clarus. l. 4. sent. §. feudum. q. 34. & §. emphyteusis q. 29. Peregrinus. de iure Fisci, l. 5. n. 108.* Quare idem

Bart. in l. Imperator. ff. de fidei commiss. libertat. Regulam tradit. si res alienari prohibita sit, non transit in fiscum per bonorum publicationem, & addit *Clar. l. 4. sent. q. 78. n. 10.* Quod bona feudalitæ nequidem durante vita eius, qui prohibitus est alienare, transeant in fiscum, sed in fidei commissio, emphyteusi & similibus alienari prohibitis, quorum utilitas in alium transferri potest, pro tempore vitæ transferentis, fiscus interim succedere videtur, ita ut ante tempus mortis, cuius bona confiscata sunt, repeti non possint. *argumento. l. Statius. 48. ff. de iure Fisci.*

Quod si verò tali casu fiscus secularis bona feudalitæ, quæ ad Ecclesiam redire debent, sibi accipiat, & tanquam propria possideat, cum bona fide præscribere poterit annis 40. vel 100. sicuti *in text.* dicitur.

2. Id accidere potest, si Ecclesia Vasallus delictum committat, ob quod feudo priuandus sit, illudque ad Ecclesiam redire debeat; seu quia ille agnatos nullos habet, seu quia fuit feudum novum, quod à Vasallo tanquam primò acquirente alienari poterat cum Domini consensu, quia ad illud feudum agnati nisi ex persona primi acquirentis (qui tamen ob delictum priuatus est) peruenire non poterant, secundum probabilem sententiam *Clari. §. Feudum, q. 34. Peregrin. n. 107.* vel denique si crimen videlicet Felloniæ contra ipsum Dominum, videlicet Ecclesiam in nostro casu commissum sit, ita ut non ad agnatos, sed ad Dominum reuerti debeat. sicuti docui *l. 3. tract. 4. de Inst. c. 24. n. 12. §. Porro.* & esse communiter receptam sententiam, tradit *Peregr. cit. num. 108.*

Exinde colligitur non novum jus hoc loco à Bonifacio VIII. constitutum fuisse, sed dubium resolutum, quod oriebatur ex authentica Iustiniani. *tit. de SS. Episcopis. §. Si quis rapuerit. c. 43. collat. 9.* vbi dicitur: quod bona rapientis, corruptentis, aut sollicitantis Monasterium in criminis pœnam applicari debeant Monasterio, si intra annum petat, postea verò applicanda fisco esse, sed bene ibi monet *Gl. verb. Assignare.*

m m m

§. Si

§. Si post mortem.

PARAPHRASIS.

Si aliqui hæretici decesserint (qui dum viverunt Catholici putabantur, & bona ipsorum à filiis eorum, aut nepotibus, vel quibuscunque etiam extraneis hæredibus Catholicis 40. annis bona fide possessa fuerant) postea molestandi non sunt, tamen si ea bona ad Ecclesiam Romanam pervenire debuissent.

SUMMARIUM.

4. Bona hæretici defuncti, de jure communi Canonico ipso facto, fisco sunt acquisita.
5. Prescribere tamen ea hæredes possunt, sed non nisi cum certis conditionibus hic assignatis.

Not. univ. Si quis in hæresi decesserit, spectato communi jure Canonico, om-

nia eius bona ipso facto censentur acquisita fisco, ita ut à quibuscunque possessoribus repeti possint. c. *Cum secundum*. 19. de hæret. in 6. præterquam si hæredes præscripserint, quæ tamen præscriptio raro locum habet propter conditiones hinc requisitas, videlicet quòd defunctus Catholicus reputabatur, quòd hærese eius 40. annis bonâ fide possederit, existimans videlicet defunctum in fide Catholica decessisse, & quòd idem hæres toto eo tempore catholicus fuerit, ita ex communi *Sanchi. explicat. tom. 1. Moral. l. 2. c. 22. n. 37. & seq.*

Porro præscriptio cum his conditionibus, adeo efficax est, ut contra quemcunque etiam Rom. Ecclesiam absque restitutionis in integrum remedio, dicto tempore perficiatur, sicuti Francus notavit in fine huius Capituli.

TITVLVS XXVII.

DE SENTENTIA ET RE IUDICATA.

Repeditis ijs, quæ ad Iudicij processum, probationes, ite & exceptiones spectant, sequitur ut de eo, quòd post conclus. in causa superest agatur, videlicet de sententia Iudicis, quæ, nisi ab ea legitimè appellatum sit, transit in rem iudicatam.

CAPITVLVM I.

Sententia.

SUMMARIUM.

1. Sententia Iudicis ipso jure irrita est, si lata sit contra leges aut canones, licet ab ea appellatum non sit.
2. Potest autem duobus modis ea esse contra jus; vel enim est contra jus respiciens merita causa, vel aliud extrinsecum, v. g. si defectus sit jurisdictionis in iudice &c.
3. Ut ipso jure priori modo irrita sit sententia, debet in ea error, vel repugnantia

cum lege vel canone exprimi, alias ea subsistit & transit in rem iudicatam, si intra decem dies non sit appellatum, nisi notoria sit eius injustitia.

4. Demonstratio seu declaratio, quòd injustè & contra jus iudicatum sit, fieri debet in iudicio appellationis.
5. Præsumptioni pro iudice locus non est, si notorium sit, sententiam esse latam contra jus clarum & indubitatum, secus est, si foret hoc obscurum & DD. variis opinionibus obnoxium.
6. In casu tamen etiam dubij & obscuri juris tenetur iudex probabiliora sequi, & quæ communiter saltem in eo tribunali recepta sunt, cum stylus curiæ jus faciat, si probabilitate nitatur.
7. Condemnatus potest in foro conscientia subterfugere executionem sententia, quam nonit evidenter esse injustam, licet id publicè notorium non sit. In foro tamen externo talis non audiretur, sed puniretur,

Ipso